This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Lp 45.268

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE BEQUEST OF

JOHN AMORY LOWELL

CLASS OF 1815

QVAESTIONES PROPERTIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE ATQVE CONSENSV

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICVS MALLET
BREMENSIS.

GOTTINGAE
APVD CALVOERIVM
MDCCCLXXXII.

Lfp 45.268

JUN 24 1884

CAROLO DILTHEYO

S.

Vt in rationes, quibus Propertius poetas Graecos imitatus sit, cognoscendas inquirerem, maxime me permovit, quod cum Huschkii [1]) aliorumque docta opera dudum probaverit intellegentibus, poetae huius artem satis difficilem nisi admotis exemplaribus Graecis recte aestimari non posse, tamen multorum coniunctis opus esse studiis, ut imitationis Propertianae imago tam expressa, tam plena, quam per fontium Graecorum tenuitatem fieri poterit, aliquando effingatur, poetae assidua lectio docuit. Ad hoc longi laboris opus meas qualescunque symbolas collaturo multifariam frui licuit copiis eis, quas aliorum doctrina congestas inveni, fere plura tamen debeo Diltheyo, praeceptori benevolo, qui cum scholis, quas habuit, publicis, tum privatis sermonis literarumque communicationibus et consilia subiecit salubria et scriptorum locos monstravit multos gravesque.

Et Alexandrinorum poetarum imitatio Propertiana cum etiamnunc qualis fuerit non omnino appareat, hoc tamen nemo in dubium vocare potest, quin et sententias permultas et ipsa elegiarum argumenta non nulla Graecis auctoribus debuerit poeta. Cum vero indagandis, quos in elocutione secutus sit Propertius, scriptoribus praecipue Hertzbergius operam dederit, eis, quorum in fabulis enarrandis vestigia presserit, explorandis Rohdius, Helbigius, Otto, Kalkmannus [2]) alii studuerint, disputationem, quae

1) in epistola critica in Propertium ad Laurentium van Santen Amstelodami 1792 conscripta.

2) Rohdius passim in libro der griechische Roman und seine Vorlaeufer; Helbigius item in Untersuchungen ueber die campanische Wandmalerei; Otto de fabulis Propertianis, Vratislaviae 1880; Kalkmannus de Hippolytis Euripideis, Bonnae 1882.

sententias singulas aut totorum carminum argumenta unde sumpserit poeta, demonstret, adhuc desideramus [1]). Qua in difficillima quaestione, quoniam eorum, quos ante oculos fuisse Propertio auctores ex ipsius certissimis testimoniis [2]) constat, carmina vetustatem pertulerunt paene nulla, certe perpauca veri inveniendi fortasse omnis omittenda esset spes, ni comparatis poetis Latinis cum eis omnibus, quos ex Alexandrinis poetis dependere sciremus, circuitione quadam ad illos auctores Propertianos ascendere possemus. Non enim neglegendum est, quantum emolumenti afferat quaestioni nostrae, quod anthologiae Palatinae poetas plurimos itemque Nonnum eiusque scholam, praeterea Aristaenetum, Philostratum, eroticos, qui dicuntur, scriptores, alios ex eodem saepe fonte [3]) hausisse, e quo poetas Latinos, certum est, postquam ab Jacobsio, Diltheyo, Schneidero, Rohdio, aliis Paulus Silentiarius, Agathias, Strato, Nonnus, ceterique scriptores strenui Alexandrinorum poetarum imitatores deprensi sunt [4]). Quin etiam voces Callimacheas admodum multas inveniri apud Byzantinos illos, docuerunt Naekius opusc. I p. 224 sqq.; Diltheyus anal. Call. p. 32 et 33; Cyd. p. 29: p. 85 n. 2; p. 101 sq.; Schneiderus Callim. II p. 445.

---

1) nuperrime de libri quinti carminibus ita disseruit Kirchner, de Propertii libro quinto (Wismar 1882) in capite sexto.

2) quae enumerant Teuffelius Roem. Lit. 246. 4; Schneiderus Callimachea II p. 41 sq.; cf. Hertzbergium quaest. Prop. II c. 7.

3) venia hic mihi petenda est vocem fontis plus semel in disputatione mea insolentius usurpanti. Cum enim poetam quendam alterius scriptoris sententiam aut ad verbum reddidisse aut commutatis verbis imitatum esse demonstraverimus, eum ex hoc fonte hausisse breviloquentiae causa dicemus.

4) de Paulo Silentiario cf. Jacobs ad anth. Pal. V 279 al; de Agathia Dilthey Cyd. p. 101; Schneider Call. I p. 190; p. 391; p. 417; II p. 658; de Stratone Dilthey anal. Call. p. 6; Cyd. p. 31 sq.; ind. lect. Gotting. $^{78}/_{79}$ p.13; de Nonno Dilthey Cyd. p. 102; Schneider I p. 190; Rohde Rom. p. 36 n. 5; p. 94 n. 1 al.; Koehler: die Dionysiaka des Nonnus p. 12; p. 26 al. Cf. etiam Bernhardy Griech. Lit. II 1 p. 389 sqq. et Helbig Untersuchungen p. 267; p. 301 al.

Neque tamen ignoro, quanta sit de his poetis Byzantinis saeculi V et VI opinionum varietas. Postquam enim Ruhnkenius (epist. crit. I p. 72), Huschkius (epist. crit. in Prop. p. 37 et 40)[1]), Hertzbergius (quaest. Prop. p. 230), Hauptius (cf. Belger M. Haupt p. 255), Lucianus Muellerus (in praefatione ad Propertium p. IV), Jacobsius (ad anth. Pal. V 217 et 228) alii Paulum Silentiarium linguae Latinae peritum ex Horatio, Tibullo, Propertio, Ovidio saepius hausisse contenderunt, nuperrime extiterunt, qui contradicerent poetasque Latinos expressos esse a Byzantino illo negarent, ita ut, quicunque inter eos inveniretur locus similis, is communi fonti esset vindicandus. Ab his Diltheyi partibus steterunt Knaackius (Analecta Alexandrino-Romana, Gryphiswaldiae 1880) et Otto (de fabulis Propertianis p. 5, auctore Reifferscheidio). Cf. Rohdium Rom. p. 139.

Quam quaestionem nunc denuo tractandam mihi proposui ea quoque spe perductus, fore ut et ad imitationem illam Alexandrinorum Propertianam et ad cognoscendam artem auctorum Propertii novae lucis non nihil afferatur. Utile autem visum est, me eam sequi viam, ut poetae, „cuius opus Cynthia sola fuit“ (Ov. rem. 764; cf. Mart. VIII 73, 5; Barth. ed. Prop. praef. p. LII), maxime carmina amatoria tractarem, quippe in quibus Propertii ingenium plurimum valuisset; cui quaestioni praemittam non nulla de constanti illa, quae extat apud poetam nostrum inter carmen epicum et elegiacum, oppositione; postremo corollarii loco de eis carminibus breviter agam, quae ille ad amicos consolandi maxime causa scripsit. In unaquaque vero harum trium partium prius singulas sententias, quas Propertium, assiduum Graecorum auctorum lectorem, ex antiquioribus fontibus sumpsisse demonstrari possit, contemplabor, deinde totorum carminum argumenta.

Nolo repetere, quod pridem viderunt Diltheyus (Cyd. p. 1 sqq.; p. 25 sq. Anal. Call. p. 3—6;), Rohdius (Rom. p. 22 sq.; cf. p. 73), Schneiderus (Call. II p. 267 sq. al.).

1) quos laudat Duebnerus ad anth. Pal. V 275.

Nihil enim horum virorum doctorum observatione verius, ex qua notum illum poetarum Latinorum in contemnendo carmine heroico vel potius in summe praedicando elegiaco consensum ad communem quendam horum poetarum fontem esse reducendum elucet. Qua in re, ne de epithetis perpetuis artis epicae lyricaeque disseram [1]), nunc, quibus maxime imaginibus usi sint poetae Latini, velim mecum contempleris.

Primum igitur Propertius IV 3, 5 sq. ex diverso flumine bibisse poetas epicos elegiacosque, ait

parvaque tam magnis admoram fontibus ora
unde pater sitiens Ennius ante bibit,

et v. 51 sq.

talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
ora Philetea nostra rigavit aqua,

ubi ipsius Ennii verborum meminisse putandus est Propertius, sicut Persius in satirarum prologo.

Canendi vero facultatem ex fontibus hauriri, passim apud poetas Latinos legitur: cf. Prop. IV 1, 6 „quamve bibistis aquam“ (Callimachum appellat atque Philetam); Ov. am. I 15, 36:

mihi flavus Apollo
pocula Castalia plena ministret aqua

1) sunt autem haec: ars epica vel tragica nominatur magna, severa, gravis, tumida, magniloqua, dura, grandis, sublimis, ingens, alta; contra ars elegiaca parva, levis, lenis, humilis, mollis, angusta, deducta, tenuis, imbellis, gracilis, tenera, blanda. Cf. illud „audaci cantu“ apud Claudianum rapt. Pros. I 3; „perpetuum carmen“ Hor. od. I 7, 6 et Stat. Theb. VII 289 cum Callimachi fragmento 287 εἵνεκεν οὐχ ἓν ἄεισμα διηνεκὲς ἤνυσα; „magniloquus“ Homerus vocatur Stat. silv. V 3, 62; cf. Callim. fr. 165; Aristoph. nub. 1367; ran. 1056 sqq.; 929; Eustath. II p. 284, 14 Hercher (Ὁμήρου μεγαλοφωνία); tragoediae ampullas vituperat Horatius A. P. 97 (cf. ep. I 3, 14) cf. Callimach. fr. 98c (Μοῦσα ληκυθίζουσα); τραγικὸν ῥοίζημα Agath. anth. Pal. V 222. De verbis τορνεύειν atque incudibus dandi egerunt Bentley ad Hor. A. P. 441, Welcker ep. cycl. I p. 117; tum „tonare“ dicitur Pindarus Prop. IV 17, 40 (cf. V 1, 134; numeris semper utor Hauptianis); cf. Stat. silv. II 7, 66; Paul. Sil. ecphr. I 3 (καναχήποδα ῥυθμόν) al.

ex Ponto IV 2, 47

at tu, cui bibitur felicius Aonius fons

aliaque permulta [1]); eademque sententia saepius occurrit apud serioris aevi poetas Graecos [2]), quorum consensus quo modo explicandus sit, nunc videamus.

Saepissime poetae soli circa fontes versantes inflammationem animi atque afflatum quendam quasi furoris a numinibus, quorum in tutela fontes essent, h. e. ab aquarum nymphis accipere et νομφόληπτοι esse cogitabantur (vide Lehrsium populaere Aufsaetze aus dem Alterthum p. 126 sqq. editionis II). Artificiosius deinde serioris temporis scriptores, inspiratos esse poetas eo fingebant, quod ipsorum fontium sacrorum aqua ab eis hauriebatur exemplum secutis prophetarum, qui oracula edituri aquam sacram solebant bibere [3]). Ad hoc figmentum eo facilior erat transitus, quod et poetae, Musarum interpretes, iam anti-

---

1) cf. Statium silv. V 3, 2 „lamentabile carmen Elysio de fonte da mihi"; cf. v. 122 sq. „ora imbuit amne sacro iam tum tibi blandus Apollo"; Theb. III 455 „dubium, cui dexter Apollo, oraque Cyrrhaea satiarit largius unda"; cf. ibidem IV 38; Achill. I 9; Juv. VII 58; Mart. XII 3, 13 et 11, 2; anth. Lat. 483 R. in.; Claudian. epist. ad Probinum v. 13; Nemesian. cyneg. 5; alia exempla exhibet Hertzbergius.

2) cf. Nestor. anth. Pal. IX 364 ὅσσοι γὰρ ποθέουσιν (sic Reiskius pro προχέουσιν) ἀοιδοτόκου πόμα πηγῆς; Antip. Thess. anth. Pal. XI 20 κρήνης ἐξ ἱερῆς πίνετε λιτὸν ὕδωρ; anth. Pal. XV 25; 18 οὐ δ'ὧ πιὼν κρήνηθεν, ἣν ἵνις κόλαψε Γοργόνος.

3) cf. Tac. ann. II 54 (sacerdos) „in specum degressus hausta fontis arcani aqua . . . edit responsa" de Apollinis Clarii oraculo, de quo vide Welckerum ad Philostratum p. 366 et Iamblichum. Myster. III 2 τὸ δὲ ἐν Κολοφῶνι μαντεῖον ὁμολογεῖται παρὰ πᾶσι δι' ὕδατος χρηματίζειν· εἶναι γάρ πηγὴν ἐν οἴκῳ καταγείῳ καὶ ἀπ' αὐτοῦ πίνειν τὸν προφήτην; de Pythia aquae haustu divinum furorem accipiente vide Ulrichs Reisen und Forschungen in Griechenland I p. 82 notasque p. 100 et Kortegarn de tabula Archelai, Bonnae 1862 p. 10; de Sibylla inspicias Klausen Aeneas und die Penaten p. 203—226; cf. etiam hymnum in Apollinem a Porphyrio de antro nymph. c. 8 servatum, quem tractavit Bergk lyr. Gr. p. 1319 editionis III (quartam adire non potui).

quitus prophetae vel hypophetae Musarum appellabantur [1]), et Musae a poetis antiquioribus saepe confundebantur cum nymphis, a quibus natura sua non diversae fuerunt [2]). Huius igitur rei memores, quos protulimus, poetae, a Musis sacrae aquae praesidibus sese potione ministrata inspiratos esse, dictitabant, communem plurimi, ut mihi quidem videtur, auctorem secuti. Non enim Latinis hoc artificium debere anthologiae Palatinae illos poetas, docet Asclepiadis, clarissimi poetae Alexandrini, epigramma anth. Pal. IX 64, 5, ubi de Hesiodo ait

δῶκαν δὲ κράνας Ἑλικωνίδος ἔνθεον ὕδωρ

ceteroquin Hesiodi (theog. 22 sqq.) quidem vestigia ibi premens, eo autem ab auctore suo discrepans, quod illi a Musis aquam Heliconiam porrectam comminiscitur. Simili modo ludit Antipater anth. Pal. XI 24 in.

ὦ Ἑλικὼν Βοιωτὲ, σὺ μέν ποτε πολλάκις ὕδωρ
εὐεπὲς [3]) ἐκ πηγέων ἔβλυσας Ἡσιόδῳ,

nisi quod Musas praetermittit. Accedit, quod Moschus id. III 78 sq., ut iam monuit Lehrsius, Homerum atque Bionem, diversi generis poetas clarissimos, ex diversis fontibus bibisse ait

ἀμφότεροι παγαῖς πεφιλημένοι, ὃς μὲν ἔπινε
Παγασίδος κράνας; ὃ δ'ἔχεν πόμα τᾶς Ἀρεθοίσας.

Num tibi iusto licentius iudicasse videbor, si mirum illum, qui interest inter poetas Graecos Latinosque supra allatos, consensum contemplatus respici quandam sententiam, quae Alexandrinam poesin quasi patriam habuerit,

---

1) cf. Pind. fr. 67 B. ἀοίδιμον Πιερίδων προφάταν et fr. 127 B. μαντεύεο, Μοῖσα, προφατεύσω δ'ἐγώ; Theocr. id. XVI 29; XVII 115 al.

2) hanc Creuzeri sententiam non nusquam impugnatam contra Deitersium (die Verehrung der Musen bei den Griechen, Bonnae 1868, p. 13—20) denuo nunc defendit Roediger (in Fleckeisenii annal. suppl. VIII p. 253); cf. praeterea Jahn in Persii editione p. 75, interpretes Theocriti I 9, Voss ad Vergilium ecl. III 85 al.

3) ut λάλον ὕδωρ Anacreont. 13 (11 B.) de fonte Clario; cf. Nonn. Dion. XLI 222 de fonte Pythio; de Hesiodo cf. etiam Lucian adv. indoctum c. 3.

satis claram ab his omnibus statuam, quae cum semel a nobili nescio quo poeta conspicuo loco usurpata esset, statim summo amore atque studio inter eius aequales circumlata sit[1])?

Manifestiora etiam vestigia imitationis poetarum Graecorum apud Propertium facili negotio indagabimus in eis, quibus artem poeticam aut cum navigatione aut cum equorum curriculo comparat, versibus. Cf. IV 3, 22

non est ingenii cymba gravanda tui,
alter remus aquas, alter tibi radat harenas:
tutus eris: medio maxima turba marist,

cuius commenti permulta suppeditant exempla Latina. Cf. Prop. IV 9, 35

non ego velifera tumidum mare findo carina

IV 9, 3 sq.

quid me scribendi tam vastum mittis in aequor?
non sunt apta meae grandia vela rati[2]).

Licet hic multa alter ex altero sumpserit poeta Latinus, negari tamen nequit, Graecos his praebuisse communem fontem. Fortasse comparari potest Pind. pyth. IV 5

Μοῖσα, Λατοίδαισιν ὀφειλόμενον
Πυθῶνί τ' αὔξῃς οὖρον ὕμνων

adde quae praeterea contulit Hertzbergius; cf. Heynium ad Pindarum olymp. XIII 69 (I p. 164).

---

1) cf. Dilthey Cyd. p. 16. — Non sine utilitate inspicietur Hertzbergii commentarius; cf. eiusdem observationes in aliquot Propertii locos (Halberstadt 1836) p. 6 sq. Prop. V 6, 4 huc non pertinet. — Plato Ion. 534 A λέγουσι γὰρ δήπουθεν πρὸς ἡμᾶς οἱ ποιηταί, ὅτι ἀπὸ κρηνῶν μελιρρύτων ἐκ Μουσῶν κήπων τινῶν καὶ ναπῶν δρεπόμενοι τὰ μέλη ἡμῖν φέρουσιν ὥσπερ αἱ μέλιτται non haustus ex fontibus sumptos dicere videtur, sed flores a fontium margine messos.

2) exemplis Burmanni (p. 500) addi possunt Ov. fast. I 466 „diriget in medio quis mea vela freto?“ II 3 „nunc primum velis, elegi, maioribus itis“; III 790 „des ingenio vela secunda, meo“ (respicit hic Propertium IV 17, 2 „da mihi pacato vela secunda, pater“); cf. Ov. fast. II 863; IV 18 et 730; art. I 772; III 99 et 748; rem. 811; trist. II 548; Verg. ge. II 41; Stat. silv. IV 4, 89; Nemes. cyneg. 58 sqq.

Altera comparatio legitur Prop. III 10, 2

sed tempus lustrare aliis Helicona choreis
et campum Haemonio iam dare tempus equo,

quam crucem interpretum optime collatis locis similibus explicavit Hertzbergius. Notissimum enim est figmentum, poetam equorum aurigam esse. Oppositio vero, quam requirunt interpretes, poetica non in adiectivo Haemonio posita est, sed in vocibus „campum dare“, h. e. „nolo iam angustis elegiae carceribus coerceri, sed in lato campo epici carminis vagari.“ Quamquam, quae contulit Hertzbergius, augeri posse non nullis locis Ovidianis aliisque, quicumque hac in quaestione versatus sit, statim videt. Huius quoque sententiae extant exempla Graeca, quorum nobilissimum legitur in Choerili Samii fragmento I, de quo vide Naekium p. 104 sqq.

ἃ μάκαρ, ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῶν
Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ'· οὐδέ τοι ἔσται
πάντῃ παπταίνοντα νεοζυγὲς ἅρμα πελάσσαι.

Quae restant sententiae ad ornatum poeticum pertinentes, tantopere sunt a viris doctis tritae, ut nobis nihil fere relictum sit. Nam quod in antris Musarum [1]) sedisse se ait Propertius (IV 3, cf. IV 1, 5), quodque in Musarum choro interfuisse se contendit (IV 1, 4; 2, 14) [2]), iam diu coeperunt tractari ab Hertzbergio ceterisque interpretibus Propertii, Bentleio ad Hor. od. I 32, 1; Paldamo Roem. Erot. p. 39 n. 46 al.

Adhuc eos commemoravimus Propertii locos, quibus poetam sententiae alicuius a Graecis poetis inventae atque pervulgatae memorem fuisse admodum probabilis est coniectura. Sed sunt etiam, quos ex ipso Callimacho eum sumpsisse cum aliqua veri similitudine suspiceris.

---

1) unde Statius „Umbroque Propertius antro“ silv. I 2, 253.

2) cf. III 10; IV 5, 20; Ov. trist. V 3, 10; Verg. ecl. VI 66; Pseudoclaud. laud. Herc. in. al.

Primum contemplare Propertium III 10, 26

nondum etiam Ascraeos norunt mea carmina fontes,
sed modo Permessi flumine lavit Amor,

ubi illud lavacrum Amoris utrum sumptum sit ex Hesiodi theogonia v. 5 (de Musis agitur)

καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο,

necne, discerni quidem nequit. Contra illud, quod inter Ascraeum fontem, h. e. fontem, ex quo poetae epici haurire consuerant, et Permessi flumen fecit, discrimen, ex Callimacho fortasse fluxit. Cf. Verg. ecl. VI 64 sq.

tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum.

Servius enim ad Verg. ecl. X 12 et schol. Iuven. VII 6 Aganippen fontem Permessi fluminis appellatum fuisse a Callimacho testes sunt, ita ut non dubitem, quin ex Callimacho hauserit Claudianus XXIX 8 (flores, quos)

fons Aganippea Permessius educat unda

(carmina dicit). Permessum igitur flumen, sicut alios fontes, valuisse ad incitandos poetas iam apud Callimamachum lectum fuisse videtur [1]).

Minus vero confidenter de Propertii versu IV 3, 26 iudicandum est

dixerat et plectro sedem mihi monstrat eburno,
quo [2]) nova muscoso semita facta solost.

Solent enim poetae Romani, si quis primus in scribendi genere inusitato adhuc versatus sit, eum nova via ingredi dicere ipsique se intacta semita incedere gloriantur

---

1) Voelkerum de Cornelii Galli scriptis (Elberfeldae 1844) p. 21 collato Propertio III 13, 4 „iussit et Ascraeum sic habitare nemus“ Hesiodi nomen saepe appellativi vim accepisse, recte docentem de versu III 10, 25 non cogitasse, per se intellegitur.

Ad Callimachi aetiorum initium refert hoc, de quo diximus, fragmentum Hecker comment. crit. de anth. Graec., Lugduni Batavorum 1843, p. 180, quem conferas.

2) „quo“ exhibet codex Neapolitanus.

saepe etiam ei, qui quo iure suum genus novasse sibi videantur, minus perspicias. Cf. Prop. IV 1, 18

sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
detulit intacta pagina nostra via

Stat. silv. II 7, 48 sqq.

nocturnas alii Phrygum ruinas
et tarde reducis vias Ulixis
et puppem temerariam Minervae,
trita vatibus orbita, sequantur eqs. [1]),

quod egregie admonet de Callimachi tritissima carminum epicorum argumenta respuentis epigrammate XXX Schn. (anth. Pal. XII 43), de quo disputat Dilthey Cyd. p. 5 sqq. Maxime tamen ad Propertii voces accedit illud epigramma Callimachi IX Schn. (anth. Pal. IX 565) de Theaeteto scriptum poeta

ἦλθε Θεαίτητος καθαρὴν ὁδόν κτέ.

Quamquam enim compertum habeo, quantum discrepent de his verbis virorum doctorum opiniones, persuaserunt tamen mihi quidem ii, qui καθαρὴν ὁδόν viam esse intactam, ab aliis poetis nondum occupatam censuerunt. Vide, ne longus sim, nubem exemplorum, quam praeter Bentleium, Hertzbergium, ll. cc. alios contulit Iacobsius tom. VII p. 292 sqq. Et cum merito audacius fuere, qui ipsum hunc Callimachi versum obversatum fuisse Propertio IV 1, 18, iudicaverint, propius fortasse ad veritatem accesseris, si hanc aut similem vocem usurpatam fuisse a Callimacho existimaveris loco aliquo celeberrimo, ubi poesis suae indolem atque naturam describeret vel defenderet. Ita enim intellegitur, cur tam libenter talia verba in carmina sua transtulerint poetae Latini iique maxime, qui studiosi fuerunt poesis Alexandrinae sectatores, cuius rei testes viros doctos modo allatos advoco [2]).

---

1) cf. Nemesian. cyneg. 8 sq.; interpretes Propertii, Bentley ad Horatium ep. II 2, 80.

2) fortasse igitur Callimachus alte sonantem artem epicam cum via publica plaustris tonante, artem elegiacam cum calle pedibus solum ingrediendo comparavit. Cf. fr. 293 ab Heckero auctum τὰ μὴ

Finita hac quaestione nunc de eis, quarum argumenta tota in defendendo canendi genere versantur, elegiis potissima delibabimus; atque primum de eis carminibus agemus, quibus poeta amicis dissuadentibus epicumque carmen ut condat, impellentibus respondet, I 7 et 9; II 1; III 34 b.

I 7 Propertius Ponticum amicum, poetam epicum, qui elegiaco generi scribendi obtrectaverat, admonet, ne fretus carmine epico in amore se profecturum esse speret; I 9 eiusdem amantis inscitiam atque inertiam deridet; II 1 Maecenati, qui eum ad canenda carmina epica adhortatus erat, non idoneam artem suam esse ad illa pangenda, respondet; III 34 b denique (quod carmen primus Dilthey Cyd. p. 2 n. 2 inde a versu 23 separavit; cf. Heimreich quaest. Prop., Bonnae 1863, p. 46 sqq.; Ribbeck prolegg. in Vergilium, Lipsiae 1866, p. 57 n. 2) Lynceo ad insinuandum in puellarum favorem elegias tantum valere, demonstrat. Quae carmina quin omnia ex ipsius poetae vita fluxerint, nemo est, qui dubitet, quamquam simili modo alii quoque poetae Romani pro scribendi genere suo propugnaverunt. Et ineptae sane futurae fuissent refutationes opinionum, quas nemo unquam protulisset, maximeque si illas ab eis amicis pronuntiari finxisset poeta, quos excepto Lynceo — hic enim quis fuerit nescitur — re vera vixisse aequales Propertio, constat. Operam igitur atque oleum perderemus, si diutius de horum carminum causis quaereremus.

Paulo uberius disputandum erit de illis elegiis, quae deum quendam apparuisse atque poetae mandasse, ut in elegiaco carmine pergeret, fingunt.

Iam Hesiodo Musas se obtulisse mentemque ad canendum incitavisse, notum est (theog. 26 sqq.). Inter serioris aevi poetas talia commentos excellit Callimachus,

---

πατεούσιν ἅμαξαι; „orbita“ ap. Stat. silv. II 7, 51 et Verg. ge. III 293; „semita“ ap. Prop. l. c.; Jacobs ad Callimachum anth. Pal. IX 565.

qui in aetiis se a Musis edoctum finxit, cuius rei testimonia praebet Schneider Call. II p. 36 sqq.; cf. Dilthey Cyd. p. 15. Quam rem libenter imitati sunt poetae Latini: Horatius od. IV 15 a Phoebo se esse impeditum ait, quo minus carmina epica conderet; ab Amore Ovidius, ut elegiacum carmen pangeret, coactus est (am. I 1; II 18); cum Venere idem de scribendi genere conloquitur fast. IV in. et art. III 44[1]); nominatim denique Hesiodum spectat Ovidius fast. VI 13 sqq. et art. I 27 sqq. Huc bene conferas Verg. ecl. VI 3—5

cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
vellit et admonuit: pastorem, Tityre, pinguis
pascere oportet oves, deductum dicere carmen

et Mart. VIII 3, maxime v. 9 sqq.

finieram, cum sic respondit nona sororum,
cui coma et unguento sordida vestis erat:
tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
dic mihi, quid melius desidiosus ages?

Sed praecipue comparanda est elegia Prop. IV 3 cum Callimachi figmento, quippe quia apud utrumque somniantem[2]) poetam a deis ad canendum esse inflammatum legatur. Cf. Hor. sat. I 10, 32 sq.

vetuit me tali voce Quirinus
post mediam noctem visus, cum somnia vera

et Ov. rem. 555 sq.

is mihi sic dixit — dubito, verusne Cupido
an somnus fuerit, sed puto, somnus erat.

Eodem spectat Lygdami elegiae quartae argumentum.

1) talibus fastorum locis imitatorem Callimachi esse Ovidium suspicati sunt Jacobs ad anth. Pal. VII 42; Hecker comment. crit., 1843, p. 181; Rohde Rom. p. 86 n. 2. Huc pertinet Callim. fr. 522 Μούσῃσι γάρ ἦλθον ἐσόβδην. Callimachum quoque, sicut Ovidium, admonuisse de Hesiodo, existimant Schneider Call. II p. 764; Rohde Rom. p. 86 n. 1. Cf. Bergk Lit. Graec. I p. 979 n. 28 „als Erzaehlung eines Traumes hat man auch im Alterthum mit richtigem Gefuehle das Ganze aufgefasst“ (Hesiodi narrationem dicit). Cf. etiam Alcm. fr. 61 B.

2) sic enim recte vulgo explicatur Prop. IV 3, 1.

Accedit, quod Claudianus, sedulus ille sectator poetarum Alexandrinorum, de VI. consulatu Honorii praef., similem narrationem multis ornamentis auctam exhibet: cum enim omnes, quae die facere consuevissent, in somnis retractare sibi viderentur, factum esse, ut poeta ante Iovem in somnio caneret. Neque falsam fuisse hanc imaginem. Nam re vera ante Iovem, h. e. ante imperatorem se cecinisse. Denique de Homero a somniante Ennio viso (cf. Iahn ad Persii prologum p. 74) eiusdemque imaginis imitatione Persiana obiter admonere satis sit[1]). Hoc enim argumentum Alexandrinis poetis vindicandum esse iam pridem Dilthey vidit Cyd. p. 15 n. 2, cuius velim compares exempla.

Iam suscepturus quaestionem meam, qua prius singulas sententias amatorias, deinde elegiarum eroticarum argumenta ad auctores suos persequi conabor, eam ingredior viam, ut casuum, quibus affectus est poeta, ordinem ducem habeam. Primum igitur eas, quae ad Propertii amoris initium pertinent, sententias enarrabo.

Et initio quidem de celeberrimo loco illo Prop. III 15, 12 „oculi sunt in amore duces“ verba mihi facienda sunt.

Duas vero sententias cum poetarum, quibuscum nobis res est, interpretes, tum ne ipsi quidem veteres scriptores accurate discernebant, hanc, quam modo attuli, et illam, quam legimus exempli gratia Prop. I 1, 1 „Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis“, obliti enim sunt, illic amantis, hic amatae puellae oculos significari[2]). Egerunt de his Iacobsius ad Paulum Sil. ep. XXXVII (anth. Pal. V 226, III 1 p. 151) et ad Achillem Tatium I 4, 4, Boissonadius ad Nicetam Eugen. II 121 et ad Aristaene-

1) cf. etiam Bionem id. IX Ahr. (III al.), ubi somniantem poetam Amor carmina docet.

2) socordius usurpavit alteram sententiam Eustathius III 7, 3 τοὺς ὀφθαλμοὺς κατεφλησα· καὶ ὅλον εἰς τὴν ψυχὴν ἀνιμησάμην τὸν ἔρωτα· ὀφθαλμὸς γὰρ ἔρωτος πηγή, utriusque memor fuisse videtur Apuleius X 3.

tum p. 208 et p. 669, Hertzbergius ad Propertium, Lachmannus ad Prop. V 4, 32, Diltheyus Cyd. p. 56 et in praefatione ad Musaeum p. X, Rohdius Rom. p. 149 n. 2, alii.

Quarum sententiarum alteram Alexandrinis auctoribus recte vindicaverunt viri docti, illam scilicet „oculi sunt in amore duces“, alteram veteriores poetas posterioribus tradidisse, credere vix possum, cum omnium omnis fere aevi poetarum communis sit sententia, amatorem puellae amatae oculis captum fuisse. Qua de causa huius sententiae, cuius exempla praeter alios collegit Burmannus, obiter tantum exornationem demonstrabo, quae invenitur saepius apud anthologiae Palatinae poetas et eroticos scriptores, ubi oculum amatae puellae comparant cum venatore vel cum sagittario. Maxime huc convenit Meleager anth. Pal. XII 101

τόν με Πόθοις ἄτρωτον ὑπὸ στέρνοισι Μυΐσκος
ὄμμασι τοξεύσας

cf. Asclepiadem anth. Pal. V 210

τὠφθαλμῷ Διδύμη με συνήρπασεν

secundum optimam Iacobsii coniecturam τὠφθαλμῷ pro τῷ θαλλῷ scribentis[1]). Adde Heliodorum Aeth. II c. 25 οὐκ ἦν ἐντυχόντα μὴ ἡλωκέναι· οὕτως ἄφυκτόν τινα καὶ ἀπρόσμαχον ἑταιρίας σαγήνην ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν ἐπεσύρετο. Eodem pertinet oculus fulgorem in amantem iaculans Nonn. Dion. XI 376

ἀπὸ βλεφάρων δέ οἱ αἰεὶ
κάλλος ὀιστεύοντος ἐκηβόλος ἔρρεεν αἴγλη[2])

cf. Dilthey Archaeol. Zeitung 1878 p. 6.

Hae duae sententiae, de quibus egimus, iam ante Propertii aetatem conglutinatae vel potius confusae esse videntur; cum enim I 1, 1 poeta se ipsum captum esse

1) non probo Wilamowitzii τῷ θάλπει (Hermes XIV 166).

2) Libanius κάλλους ἔκφρασις IV p. 1070 (Ἔρως) ταῖς βολαῖς τῶν ἐκείνης ὀμμάτων ἐμπιστεύων τὴν τόξευσιν; anth. Plan. 204 φῶτρα δὲ τίκτω οὐκέτι τοξεύων, ἀλλ' ἀτενιζόμενος (Amor Praxitelis loquitur); Boissonade ad Aristaenetum p. 208 et ad Nicetam Eugen. p. 211. Haud dissimilis est Ibycus fr. 2 B.

puellae oculis dixerit idemque suos oculos viam demonstrasse amanti contenderit III 15, 12, nunc ipsius amantis oculos captos esse aut ab Amore aut ab amata puella ait. Cf. III 30, 10

excubat ille acer custos et tollere nunquam
te patietur humo lumina capta semel,

I 5, 11 „non illa relinquet ocellos", IV 10, 15

dein qua primum oculos cepisti veste Properti [1]).

Eandem sententiam fuere, qui ita excolerent, ut Amor oculos non solum cepisse, sed etiam virgis viscatis fefellisse diceretur. Vide Timotheum, lyricum Milesium, in appendice Florentino Stobaei p. 172 M.[2]) ὁ πτερωτὸς ἰξὸς ὀμμάτων Ἔρως ὁ Κύπριδος κυναγός, ἡ φρενῶν ἄκις; Rhian. anth. Pal. XII 93

ἦ γὰρ ἂν ὄμμα
ῥίψῃς, ὡσ ἰξῷ τοῦτο προσαμπέχεται

(Meineke Anal. Alex. p. 207).

Denique notabilis huius sententiae commutatio extat apud Propertium I 19, 5

non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,

quam et ipsam Graecis debuit. Cf. Meleagrum anth. Pal. XII 92

ὦ προδόται ψυχῆς, παίδων κύνες, αἰὲν ἐν ἰξῷ
Κύπριδος ὀφθαλμοὶ βλέμματα χριόμενοι,
ἡρπάσατ' ἄλλον Ἔρωτ', ἄρνες λύκον,

ubi Amorem oculis captum esse amantis legimus.

Iuvenis vero amore capti in capite vel cervice pedes posuisse Cupidinem, dicunt poetae cf. Prop. I 1, 4

caput impositis pressit Amor pedibus.

cf. praeter Burmannum Hertzbergiumque Iacobsium ad

---

1) cf. Ov. am. II 19, 19; met. XIV 372 sq.; her. XII 36; XV 22 et Loersium ibi; Nonn. Dion. XXXII 40 cf. V 593; Apollon. Rhod. III 1018; Wagner alphabetum amatorium 69.

2) initio pro θ' voluerunt Meineke εἰθ' vel ἦλθ', Bergk οὔθ'. Color versuum auctorem Alexandrinum indicare videtur, quare non sine causa Bergk (lyr. p. 1273 editionis III) Sositheo, Alexandrinae Pleiadis poetae, eos mavult ascribere. Nauck Τιμησιθέου coniecit.

Meleagri epigramma XXVIII. Ubicunque, ut mihi persuasit Dilthey, Amor sic describitur, aut victor aut (cui cogitationi etiam magis favisse videntur poetae) venator esse putatur. Simili, qua Propertius, imagine usus est Paulus Silentiarius anth. Pal. V 268

λὰξ ἐπιβὰς στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα.

(Amorem dicit), quod ne ex poeta Latino eum sumpsisse iudicemus, vetant Meleagri epigrammata anth. Pal. XII 48

κεῖμαι· λὰξ ἐπίβαινε κατ' αὐχένος, ἄγριε δαῖμον

et XII 101

τὸ δ'ἐπ' ὀφρύσι κεῖνο φρύαγμα
σκηπτοφόρου σοφίας ἠνίδε ποσσὶ πατῶ

et Parthenii fragmentum X

ἀμφοτέροις ἐπιβὰς Ἄρπυς ἐληΐσατο,

sic enim Amorem appellatum fuisse docet Meinekius Anal. Alex. p. 266, quem cum utilitate huc conferas. Iam ante Propertium igitur, Cupidinem pedes imposuisse amanti, dixerunt poetae Alexandrini, a quibus et Latini poetae et Byzantinus acceptum figmentum vario modo exornaverunt; ac potest documento esse hoc exemplum, quanta cautione opus sit in indagandis sententiarum fontibus, cum ni sortis benignitate servati nobis essent illi loci Meleagri atque Parthenii, haud sciam, an non nulli hac quidem in re Paulum Silentiarium Propertii vestigiis incessisse arbitrati fuissent[1]).

Cui quaestioni subiungam sententiam similem, quae Amoris homine potiti imaginem exprimit. Saepe enim triumphantis[2]) partes agens amantem catenis vinctum

---

1) non satis constat, num illud statuae fragmentum quod delineatum conspicitur apud Mueller-Wieseler Denkmaeler II n. 686 et de quo conferendi sunt Benndorf et Schoene die antiken Bildwerke des Lateranensischen Museums p. 274 n. 401, huc sit referendum. — Tacere hic non possum coniecturam, quam protulit Mercklinus. Aphrodite Nemesis mit der Sandale (Dorpat 1854) p. 5 ex verbi ἀνδράποδον origine coniciens, fuisse tempus, quo Graeci pede eodem, quo Latini manu, modo ad demonstrandam dominorum in servos potestatem usi essent.

2) cf. Prop. II 8, 40 „de me iure triumphat Amor".

ducit Cupido. Talia sententiarum lumina contulit Rohde Rom. p. 108 n. 1, eademque sexcenties in gemmis tabulisque pictis apparent, vide Jahn archaeol. Beitr. p. 184 et Leipziger Berichte 1849 p. 160, ubi etiam Cupidines deorum amantium insignia gestantes commemorantur. Facile igitur intelleges, cur Amores σκυλοχαρεῖς appellentur a Secundo anth. Plan. 214, quo de carmine evolvere te non poenitebit Foersteri Farnesina-Studien (Rostock 1880) p. 64 sq. (cf. notam 172). Haud temere hoc quoque loco Rohde de Alexandrino auctore cogitavit[1]).

Vtile deinde est contemplari imaginem amantis innumerabilibus sagittis pectus perfossum dolentis Amoremque cor suum relinquere posse negantis. Cf. Prop. III 13, 1 sq.

non tot Achaemeniis armatur Itura sagittis,
spicula quot nostro pectore fixit Amor,

quo cum disticho si quis versus 13 sq. carminis antecedentis comparaverit

in me tela manent, manet et puerilis imago,
sed certe pennas perdidit ille suas,

statim ei in mentem venerit Pauli Silentiarii ep. XX (anth. Pal. V 268)

μηκέτι τις πτήξειε πόθου βέλος· ἰοδόκην γὰρ
εἰς ἐμὲ λάβρος Ἔρως ἐξεκένωσεν ὅλην.
μὴ πτερύγων τρομέοι τις ἐπήλυσιν· ἐξότε γάρ μοι
λὰξ ἐπιβὰς στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα,
ἀστεμφὴς, ἀδόνητος ἐνέζεται, οὐδὲ μετέστη,
εἰς ἐμὲ συζυγίην κειράμενος πτερύγων.

Sed extat Archiae epigramma anth. Pal. V 58 tam simile carmini Pauliano, ut eius vestigia pressisse poeta Byzantinus fortasse putandus sit

νήπι' Ἔρως, πορθεῖς με τὸ κρήγυον· εἰς μὲ κένωσον
πᾶν σὺ βέλος, λοιπὴν μηκέτ' ἀφεὶς γλυφίδα,

1) Ἔρως βουκόλος apparet anth. Pal. VII 703; βουκόλον Ἔρωτα nuncupat Cupidinem qui Iovis Europam vehentis cervicem verberat, Nonn. Dion. I 80; cf. Mosch. id. VI Ahr., Helbig Wandgemaelde n. 128, Untersuchungen p. 224.

ὡς ἂν μοῦνον ἕλοις ἰοῖς ἐμὲ, καί τινα χρῄζων
ἄλλον ὀϊστεῦσαι, μηκέτ' ἔχοις ἀκίδα

atque similia passim inveniuntur apud Graecos [1]), quibus perlustratis merito conieceris, iam poetas Alexandrinos vel questos esse vel narravisse pectus ab Amoribus sagittis innumerabilibus perfossum, atque ex hoc eodem fonte et Propertium et poetas, quos commemoravi, Graecos ex suo quemque more hausisse eam sententiam, modestius poetam Latinum, audacius atque plenius Graecos, quippe qui nullam iam relictam esse sagittam Amori fingerent. Eundem nusquam ex amantis corde posse removeri [2]), apud utrosque poetas legimus, ambas sententias coniunctas apud Paulum.

Apte hic addere possumus eos, quibus ad ima pectora Amorem penetrare legimus, locos, Prop. I 9,29

qui non ante patet, donec media [3]) attigit ossa

(Amorem dicit) et III 34, 60

quem tetigit iactu certus ad ossa deus,

quod sine dubio ex Alexandrinis poetis sumptum est. Cf. Theocr. id. III 17 (de Amore)

ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστίον ἄχρις ἰάπτει

VII 102

ὡς ἐκ παιδὸς Ἄρατος ὑπ' ὀστέον αἴθετ' ἔρωτι [4]).

Itaque non ex Propertio, sed ex eodem, quo Propertium, fonte hausisse Paulum ep. XVIII (anth. Pal. V 239) v. 3

ἤδη γὰρ μετὰ σάρκα δι' ὀστέα καὶ φρένας ἕρπει

---

1) cf. Meleagrum anth. Pal. V 212. 6 sq. et XII 19 B. 3 sq. (= V 215); Posidippum anth. Pal. XII 45 in; Rufinum anth. Pal. V 87; Eubulum apud Athenaeum XIII p. 562 D (Meineke comici III p. 226); Boissonade ad Nicetam Eugen. II. 129; Jacobs ad Paulum Silentiarium (III 1. p. 139 sq.); anth. Pal. V 188 et 198.

2) cf. etiam Ovidium am. II 9, 2 „o in corde meo desidiose puer".

3) sic Heinsius; cf. Hetzel progr. gymnas. Dillenburg. 1876 p. 4; codices „manus". — cf. etiam v. 21 „arcum sentire medullis".

4) cf. Ov. her. XVI 275 sq.; met. I 473; Claudian. XXXI 145; Stat. Achill. I 303 sqq. Cf. Fritzsche ad Theocr. III 17.

(Amor scilicet), ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum iudicii recti esse existimem.

Amore autem captus statim de puellae duritate queri solet Propertius atque Cynthiae crudelitatem cum saxo atque ferro comparat I 16, 29 sq.

sit licet et saxo patientior illa Sicano,
sit licet et ferro durior et chalybe

consentiens cum cuiusvis aevi poetis Graecis Romanisque, qui semper animum constantem aut crudelem aut durum sensusque expertem significant adiectivo σιδήρεος vel „ferreus", ipsamque mentem duram comparant cum ferro, lapide, silice, robore, adamante, scopulis, aesculo, quercu (ubi Graeci plerumque λίθους καὶ πέτρας usurpant), qua de re uberius disputant cum scriptorum, quibuscum nobis res est, interpretes, tum Zingerle Ovidius I p. 42 sqq. Cf. Leutsch paroemiogr. Graec. I p. 430.

Ut Cynthiae crudelitas poetae dolenda esset, effecisse videntur aemuli illi, quorum ira valde commotus II 9, 32 muliebrem fraudem incusat omninoque carere puellas fide queritur

sed vobis facilest verba et componere fraudes,
hoc unum didicit femina semper opus.

Perfidiam atque fallaciam inconstantiamque mulierum proverbii loco apud veteres auctores circumferri constat [1]). Ornatius Sophocles eam sententiam expressit (fr. 741 N) ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω.

Hic autem locus admonet me de notissima altera sententia amantium iusiurandum omnino nihil valere dicente, de qua uberius disputandum est.

Solent poetae Graeci atque Latini id, quod vanum inritumque fuit, ventis vel unda raptum vocare, hancque formulam de promissis iuribusque iurandis non conserva-

---

1) cf. Prop. III 25, 22; Lygd. 4, 61; Plaut. mil. glor. II 5, 46; Eurip. fr. 673 N. Cf. etiam Leutsch paroem. Gr. I p. 233; II p. 107 al; cum Propertio quodam modo consentit Euripides Andr. 85; cf. Hipp. 481; Iphig. Taur. 1032.

tis, de voluntatibus votisque non completis usurpant, cf. Loers ad Ovidium her. II 25, Dilthey Cyd. p. 77 n. 2, Zingerle Ovidius I p. 39 sqq., Hertzberg in commentario Propertiano suo p. 185 sq. al.[1]) Frequenter talia inveniuntur apud poetas lyricos Graecos[2]), saepissime apud poetas Alexandrinos[3]). Inter omnes vero poetas, quod novum mihi documentum esse videtur, quam saepe tractata fuerit illa imago a poetis Alexandrinis, nemo est, qui tam libenter eam usurpaverit, quam Nonnus in Dionysiacis[4]); inter ceteros serioris aetatis poetas Maecius epigrammatarius[5]), Quintus Smyrnaeus[6]) alii hoc lumine usi sunt.

Antiquiores vero poetae Graeci plerumque curas aerumnasque evanescentes, adhortationes frustra adhibitas vel non auditas, contra elegiaci Romani vota atque iura iuranda, praecipueque iura iuranda amatoria ventis undisve abripi finxerunt, cum apud veteriores scriptores tantum modo amantis promissa nil valere vel ad aures

---

1) quos omisit Zingerle locos, fere hi sunt: Cat. 64, 59; Prop. I 8, 12; V 7, 22; Ov. am. I 8, 106 (ubi fortasse „unda“ scribendum est pro „aura“); trist. I 2, 15; ib. 18; her. XV 208 „zephyri verba caduca ferunt“ (hoc mire admonet de Propertio I 16, 34 „verba cadunt zephyro“); fast. V 686; Verg. cul. 378 sq. Cf. Stat. Ach. I 960 ed. Kohlmann; Valer. Flacc. V 21; VIII 173; Claudian. rapt. Pros. III 133; neque dissimilis est Statius Theb. VI 791.

2) Sapph. fr. 17 B.; Theogn. 1168; ex Anacreonteis huc pertinent 36, 14; 48, 5—7; 57. 9 B. ed. III.

3) Callim. fr. 67; Theocr. id. XXII 167; XXIX 35; Apollon. Rhod. I 1334; cf. Meleagrum anth. Pal. V 8, 5; VII 468, 8.

4) III 310; VII 177; VIII 123; XII 258; XVI 164; XVII 3; XXV 382; XXX 248; XXXVI 400; XXXVII 2; XLVII 33; 94; 271; 454; 705; 741; XLVIII 215; 785, quibus locis mandata, curae, memoria, desiderium, alia aut ventis aut fluctibus rapienda committuntur.

5) anth. Pal. V 133. 4; anth. Plan. 198.

6) XIV 381 sq. Ceterum aptissima quaeque tantum collegi haud ignorans, posse augeri collectanea mea locis, quibus eiusdem sententiae memores fuerunt poetae. Singulariter dictum est Prop. III 16, 45 „procellae in vanum ferunt“ de opibus.

deorum non pervenire vel deos rupta iura iuranda amatoria poena non exequi legatur [1]).

Tib. I 4, 21

Veneris periuria venti
inrita per terras et freta summa ferunt

Lygd. 6, 49

periuria ridet amantum
Iuppiter et ventos inrita ferre iubet

Ov. am. II 8, 20 (Venerem adloquitur)

tu, dea, tu iubeas animi periuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre notos

et II 16, 46

verba puellarum ventus et unda ferunt

et art. I 633

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum
et iubet Aeolios inrita ferre notos

(quod cohaeret cum illo loco Lygdami) Prop. III 28, 8

quidquid iurarunt, ventus et unda rapit.

Hos omnes poetas uno eodemque auctore vel ipso vel interposito alio quodam scriptore usos fuisse, facere non possum, quin credam. Quis enim unquam animo comprehendere potest, mero casu factum esse, ut Tibullus, Lygdamus, Propertius, Ovidius coniungerent eam sententiam, quae de iuris iurandi amatorii vanitate ageret, cum illa, quae vana dicta ventis rapi diceret? Neque vero ceteri ex Tibullo hanc sententiam sumpsisse putandi sunt. Nam mirum sane esset, si illum locum Tibullianum tanto amore amplexi essent Propertius atque Ovidius, ut eum totiens repeterent. Mea quidem sententia non ea fuit auctoritate Tibullus, quem poetae fere aequales tanto studio imitarentur.

Itaque sic censeo, ex Graeco quodam auctore sum-

1) cf. Boissonade ad anth. Pal. X 56 et Aristaen. p. 729; Nauck fragmenta tragicorum p. 720; Preller myth. Graec. I p. 110 ed. III; Burmann ad Prop. II 21 (III 28), 10; Hertzberg ad eundem locum; Schneider Call. I p. 421; Leutsch paroem. Graec. I p. 441 et II p. 379; Zingerle Ovidius I p. 40 sq. et 82 sq.

psisse hanc sententiam omnes, quos modo attuli, poetas Romanos.

Primum enim simile aliquid iam legimus apud Sophoclem in fragmento illo supra commemorato 741 N ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω[1]), unde profectum esse videtur Catullianum illud 70, 3

mulier cupido quod dicit amanti,
in vento et rapida scribere oportet aqua[2]).

Sed hic locus Sophoclis tam diversus est ab illis Latinis, ut eum ante oculos fuisse poetis Romanis merito negaveris. Est paulo similior Meleagri versus anth. Pal. V 8

νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκιά φησιν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι.

Accedit, quod utramque sententiam apud Alexandrinos poetas satis notam fuisse constat, nam alterum exhibet Callimachus ep. XXVII Schn. (anth. Pal. V 6)

ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι
ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων,

cui simillimus est Aristaenetus epist. II 20, cf. Dioscoridem anth. Pal. V 52

ἀλλ' ἡ μὲν ψευδής, κενὰ δ' ὅρκια, τῷ δ' ἐφυλάχθη
ἵμερος· ἡ δὲ θεῶν οὐ φανερὴ δύναμις,

alterius paulo supra admodum multa dedimus exempla.

Denique, ut sententiam, de qua agimus, Alexandrinis poetis vindicem, movet me unus Claudiani locus nupt. Honor. et Mar. v. 82 sq.

iucundique Metus et non secura Voluptas
et lasciva volant levibus Periuria ventis,

qui, quod sententiam attinet, plane cum Tibullo, Propertio, Ovidio consentit, verborum vero talem exhibet discrepantiam, ut Claudianus non Latinos, qui ante oculos sunt, sed more suo Alexandrinum quendam poetam hic expressisse videatur[3]).

Talibus in angustiis cum neque a perfidae puellae

---

1) explicatur exemplisque illustratur haec notio ab Huschkio anal. crit. p. 63 sq., Leutschio paroem. Gr. I p. 344. —

2) cf. Huschke l. c.

3) eosdem respexit, ni fallor, Nonnus Dion. VIII 123.

amore desistere neque in eius gratiam redire possint, non nusquam poetae Latini a magis auxilium petunt. Notum enim est, illis temporibus fuisse lenas multas, quae artium magicarum usu amorem expellere excitareque putarentur. Cf. Hirschfeld de incantamentis et devinctionibus amatoriis apud Graecos Romanosque, Regimonti 1863, p. 43 sq., Kalkmann de Hippolytis Euripideis p. 17 al. Quae cum pretii parandi causa puellis operam suam ad devinciendos amatores offerre solerent, quo vires magicas suas demonstrarent, se flumina tardare, segetes transponere, mortuos tumulo excitare[1]), denique sidera coelo detrahere[2]) posse contendebant.

At quantum afuerit, ut talia fingentibus fidem re vera haberent poetae Romani, cum ex aliis, tum ex eo efficitur, quod fluvii refluentis exemplo res, quae quam maxime fieri nequeant, significare solent. Cf. Prop. III 15, 33

terra prius falso partu deludet arantes,
et citius nigros Sol agitabit equos
fluminaque ad caput incipient revocare liquores
aridus et sicco gurgite piscis erit,
quam possim nostros alio transferre calores.

---

1) de his artibus vide Zingerle I p. 73 sqq.; cf. Hirschfeld p. 21 et 40; de frugibus excantatis cf. interpretes ad Verg. ecl. VIII 98; de mortuis suscitatis Korais ed. Heliodori Aeth. II p. 217.

2) vide locos, quibus ea ars describitur, apud Zingerle I p. 73 sqq. et III p. 14, Hirschfeld p. 13; 15; 21; 40. Cf. praeterea hos locos Latinos Prop. III 28, 37; Senec. Phaedr. 429; Herc. Oet. 471 et 529 sq.; Claudian. in Rufinum I 146 sq.; anth. Lat. 483 R 18 sqq.; Apul. met. I 5 aliisque locis. — Ex Graecis primus commemorat hanc artem Aristophanes nub. 750; vix cedit aetate vas pictum, quod duas magas lunam detrahentes repraesentat. Cf. Jahn Vasenkatalog p. CXIII. Cf. schol. Apoll. Rh. III 533 ; Lipsium ad Tac. ann. I 28; anth. Pal. XI 262; Antip. Sidon anth. Pal. VII 241, 7; Nonn. Dion. XXXVI 347. Inspicias etiam Becker Char. II p. 105 sqq.; Preller myth. Graec. I p. 106 editionis III. Addo locos, quibus sidera magicis artibus affecta vel laesa esse, legimus: Ov. met. XIV 367; Dracont. X 4 sq.; Claudian. bell. Pollent. 237. Huc pertinent etiam Valer. Flacc. VI 441 sq.; Calpurn. XI 70; cf. Haupt ad Ovidium met. IV 333; anth. Lat. 723 R.

Plura dedit Zingerle I p. 110 sqq.; adde Stat. Theb. VII 553; Claudian. in Eutropium I 353; Senec. Oedip. fragm. v. 85. Eiusdem rei documentum alterum est unice vera lectio codicis Neapolitani Prop. I 1, 19

at vos, deductae quibus est fallacia lunae

cf. Prop. II 4, 15

nam cui non ego sum fallaci praemia vati[1])?
quae mea non decies somnia versat anus?

ib. v. 7

non hic (in amore) herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
non Perimedeae gramina cocta manus

cf. Theocr. id. XI in. (quem imitatus esse videtur Longus II 7, 7 cf. Nicet. Eugen. VI 371) et Ov. art. II 99

fallitur, Haemonias si quis decurrit ad artes.

Quotiescumque igitur poetae Romani[2]), quasi amorem vel extrudi vel effici posse sagarum incantamentis venenisque serio crederent, magica auxilia amoris laborum commemorant, id non pluris aestimandum est, quam rhetoricum sententiarum ornamentum. Quibus in commentis morem Alexandrinorum poetarum secuti sunt, quorum in deliciis fuerunt praestigiae magicae. Vide testimonia a Seilero ad Longum II 7, 7 et ab Helbigio Untersuchungen p. 294 collecta. In popularibus enim carminibus circumlatas sententias usurpantes[3]) hac quoque in re sectatores sibi nacti sunt poetas Romanos. Sic Theocriti idyllium II imitatus est Vergilius in ecloga VIII, atque Catullum quoque, quod aetatem non tulit, tale carmen composuisse, testis est Plinius nat. hist. XXVIII 19 „hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proxumeque Vergili incanta-

---

1) cf. Addenda.

2) quorum qui huc pertinent locos contulit Hirschfeld p. 20 sq. n. 3.

3) utile est comparare hymnum, quem primus edidit Miller (mélanges de littér. grecque p. 442), denuo tractaverunt Meineke (Hermes V p. 56) et Dilthey (mus. Rhen. 1872 p. 382, quem conferas necesse est), in quo Hecate, ad expellendum aemulum ut coelo descendat, imploratur ab amante.

mentorum amatoria imitatio“ (Catulli fragmentum VI). Falso enim Suess acta semin. philol. Erlangensis I (1878) p. 18 cum Peipero haec Plinii verba ad Catulliani carminis 64 versum intercalarem retulit. Quo enim iure „amatorium“ hoc carmen vocari possit, nullo modo intellego. Tum summi momenti hic sunt cum versus apparatum magicum describentis Laevii, pedisequi illius Alexandrinorum (fr. X M).

antipathes illud quaeritor
philtra omnia undique irruunt:
trochisci, iunges [1]), taeniae,
radiculae, herbae, surculi eqs

tum quod scriptores erotici anthologiaeque Palatinae poetae tam saepe devinctiones amatorias commemorant. Cf. Achill. Tat. IV 15, 4 ὧν φύσει φαρμακεὺς σκευάζει τι φάρμακον ἔρωτος καὶ πείθει τὸν διακονούμενον ὑμῖν Αἰγύπτιον λαβεῖν τὸ φάρμακον καὶ ἐγκαταμίξαι τῷ τῆς Λευκίππης ποτῷ [2]).

Deorum quoque, qui ipsi aut amant aliquam puellam aut amaverunt, misericordiam implorare solent poetae amatorii, nam quod eodem dolore affecti erant, libenter illi amantibus succurrere dicebantur. Aut igitur, ut amoris dolores placent, aut in quovis periculo, ut laborantibus sibi adsint, precibus eos adeunt. Huius tenerrimae cogitationis permulta suppeditant exempla, quorum aptissima quaeque contemplabimur [3]).

Summo favore, quod vere Alexandrinum est, deos, quorum in tutela natura est, implorant amantes. Sic amnem, qui a puella separat amatorem, his verbis castigat Ovidius am. III 6, 23 sqq. [4]).

flumina deberent iuvenes in amore iuvare
flumina senserunt ipsa, quid esset amor

1) de iynge cf. interpretes Theocriti id. II, Hirschfeld p. 40 sq., Jahn Leipziger Berichte 1854 p. 256 sq.

2) praeterea cf. exempli gratia Achillem Tatium V 22, 2 et 26, 12; Longum I 18, 2 al; anth. Pal. V 205 (inc.) et V 290 (Paul. Sil.).

3) non nulla dedit iam Otto de fabulis Propertianis p. 8.

4) cf. Addenda.

Inachus in Melie Bithynide pallidus isse
dicitur eqs,

Nereides in mari periclitans Propertius appellat I 17, 25 sqq.

at vos aequoreae formosa Doride natae
candida felici solvite vela choro:
si quando vestras labens Amor attigit undas,
mansuetis socio parcite litoribus

Boreamque Leander Ovidii v. 39 sq.

in me, si nescis, Borea, non aequora saevis,
quid faceres, esset ni tibi notus amor?

atque Solem amator noctem expectans apud Nonnum Dion. VII 291 sq.

Ἥλιε, κλονέεις με, καὶ εἰ μάθες οἶστρον ἐρώτων·
φειδομένῃ μάστιγι πόθεν βραδὺν ἵππον ἐλάσσεις;

cf. ib. XLII 49 sqq.

καὶ Κλυμένης φιλότητος ἀναμνήσας πρόμον ἄστρων
Ἥλιον λιτάνευεν κτέ.

Denique hic enumerandi sunt lòci, quibus Lunam invocant atque Endymionis commonefaciunt amantes. Vide Philodemum anth. Pal. V 123

ὀλβίζεις καὶ τήνδε καὶ ἡμέας, οἶδα, Σελήνη·
καὶ γὰρ σὴν ψυχὴν ἔφλεγεν Ἐνδυμίων,

quem expressit Nicetas Eugenianus VIII 110 sqq.[1]), ut iam vidit Boissonadius I p. 370. Cum his conferri solet Ovidius her. XVIII 59 sqq.

Luna fere tremulum praebebat lumen eunti,
ut comes in nostras officiosa vias.
hanc ego suspiciens „faveas, dea candida“, dixi,
„et subeant animo Latmia saxa tuo.
non sinit Endymion te pectoris esse severi.
flecte, precor, vultus ad mea furta tuos“ eqs,

adde Apollonium Rhodium IV 55 sqq.

φοιταλέην ἐσιδοῦσα θεὰ ἐπεχήρατο Μήνη

1) ne serissimae quidem aetatis scriptores eroticos a quaestione mea prorsus segregandos esse existimavi, cum veteriores Graecos ab eis spoliatos esse, qui et Rohdii librum et auctores istos eroticos deinceps legerit, bene sciat.

ἁρπαλέως, καὶ τοῖα μετὰ φρεσὶν ἦσιν ἔειπεν
οὐκ ἄρ ἐγὼ μούνη μετὰ Λάτμιον ἄντρον ἀλύσκω,
οὐ δ' οἵῃ καλῷ περιδαίομαι Ἐνδυμίωνι κτέ

et Quintum Smyrnaeum X 454 sqq.

τὴν δέ που εἰσορόωσα τόθ' ὑψόθι δῖα Σελήνη
μνησαμένη κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἐνδυμίωνος
πολλὰ μάλ' ἐσσυμένην ὀλοφύρετο κτέ.

Inter ceteros vero deos amantes appellant Bacchum (Prop. IV 17, 3 sqq.), Neptunum (Prop. III 26, 45; Ov. her. XIX 129), Persephonen (Agath. anth. Pal. V 289; cf. Ov. met. X 29), plerumque Iovem, omnes et ipsos amoris dolores passos. Cf. Nonnum Dion. XI 315

Ζεῦ πάτερ, εἰ φιλέεις με, καὶ εἰ πόνον οἶδας ἐρώτων κτέ.

Ex Alexandrinis poetis vide Theocritum id. VIII 60

ὦ πάτερ ὦ Ζεῦ,
οὐ μόνος ἠράσθην· καὶ τὸ γυναικοφίλας.

Callimachum anth. Pal. XII 230 (ep. LIII Schn.)

οὐράνιε Ζεῦ,
καὶ σύ ποτ' ἠράσθης· οὐκέτι μακρὰ λέγω

Asclepiadem anth. Pal. V 167

ἄχρι τίνος, Ζεῦ,
Ζεῦ φίλε; σιγήσω· καὐτὸς ἐρᾶν ἔμαθες

Ego quoque silebo. Utinam semper nobis tam certis vestigiis in indagandis Propertii sententiarum fontibus uti liceret! Cf. etiam Longum II 7, 6 al.

Quamquam haud rarius poetae Latini, amanti amatam personam solam medicari posse, asseverant. Cf. Ov. met. IX 547

tu servare potes, tu perdere solus amantem

Lucret. IV 1078

namque in eo spes est, unde est ardoris origo

cf. Apul. met. X 3 „causa omnis et origo praesentis doloris atque etiam medela ipsa tute ipse es[1]).“

idque Telephi exemplo demonstrare solent, qui et

1) cf. Aristaen. ep. II 1 p. 129 atque Boissonade p. 619 ad hunc locum; Apul. met. II 8 „ureris intime, nec ullus extinguet ardorem tuum, nisi ego.“

ipse eodem, quo vulneratus esset, ferro sanatus sit. Cf. praeter Burmannum in editione Propertii p. 214, Kalkmannum de Hippolytis p. 16 et p. 94 maxime Ottonem de fabulis Propertianis p. 21, cuius exempla[1]) augeri possunt ex eis, quae Leutschius exhibet paroem. Gr. II p. 762 sq. Bene autem huius sententiae originem Alexandrinam detexit Otto refutavitque Hertzbergii opininionem Propertii versus II 1, 63 sq.

Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspide vulnus
senserat, hac ipsa cuspide sensit opem

expressos esse censentis[2]) a Paulo anth. Pal. V 291

Τήλεφον ὁ τρώσας καὶ ἀχέσσατο· μὴ σύγε, κούρη,
εἰς ἐμὲ δυσμενέων γίνεο πικροτέρη.

Potitus vero Cynthiae amore Propertius puellae pulcritudinem atque artes laudibus extollit: facies eius cum lacte liliis nive, rosis miniove misto comparatur[3]), atque talem esse puellae pulcritudinem ait, ut eam dearum aliquam, non mortalem esse crederes[4]).

---

1) unum locum Ovidianum omisit, qui in nostram quaestionem minus cadit, quippe qui non de amore agat, trist. II 19 sq.

forsitan ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
sic mihi res eadem vulnus opemque ferat.

2) dubitanter tamen ut docet ipse quaest. Prop. p. 230.

3) II 3, 9 sqq. cf. Rohde Rom. p. 153 n. 2, Helbig Untersuchungen p. 258 sq., Boissonade ad Nicetam I 147 et ad Aristaenetum I 1 p. 211 sqq.; Nonn. Dion. XXXIV 106 et 111; Vergil. Aen. XII 68 sq.; epithal. Laurentii (anth. Lat. 742 R) 32; anth. Lat. 897 R 45 sqq.; cf. Anacreont. 15 B p. 1055 ed. III cum Ausonio de imagine Bissulae ad pictorem v. 5; cf. etiam Bion. XV 19. Iam Rohde vidit, de Homerica illa notissima ex ebore tincto sumpta imagine cogitasse Achillem Tatium puellae faciem I 4, 3 describentem; cf. Zingerle Ovid. I p. 114 n. 3; Claudian. rapt. Proserp. I 273 sq.; Stat. Achill. I 308.

4) cf. Prop. II 2, 13 sq. „cedite iam, divae, quas pastor viderat olim“ eqs cum anthologia Latina 897 v. 86 R quod tamen medii aevi carmen est, et Philostrati epistola 62. Sententiam inde ab Homero notissimam exemplis permultis illustraverunt Rohde Rom. p. 155 sq. quique ibi enumerantur viri docti.

Eandem deinde admonet, ut vitae fructum carpat aut senectutem tristem aut brevitatem vitae eius menti proponens I 19, 25

quare, dum licet, inter nos laetemur amantes
non satis est ullo tempore longus amor

cf. III 15, 23 sq.

dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore,
nox tibi longa venit nec reditura dies.

Est sententia apud cuiusvis aevi scriptores usitatissima atque in propatulo posita. Modo enim mortem, modo senectutem instantem admonere nos dicunt, ut bibamus, ut amemus, ut vitae voluptates hauriamus. Quod verborum similitudinem attinet, proxime ad Propertium accedit Tibullus I 1, 69

interea, dum fata sinunt, iungamus amores,
iam veniet tenebris Mors adoperta caput.

Cf. ad hunc Dissen p. 26. Amaverunt hanc sententiam poetae anthologiae Palatinae. Cf. V 12; 72 al[1]). Eodem spectat Philodemi epigramma anth. Pal. IX 570, ubi psaltriam intuetur mortis recordans

ἐν μονοκλίνῳ
δεῖ με λιθοδμήτῳ δή ποτε πετριδίῳ
εὕδειν ἀθανάτως πουλὺν χρόνον,

quod legenti in mentem tibi veniet longae illius noctis Propertianae. In simili adhortatione Asclepiades quoque anth. Pal. XII 50 v. 7 sq. mortem vocat noctem

πίνομεν· οὐ γὰρ ἐρᾷς; μετά τοι χρόνον οὐκέτι πουλὺν,
σχέτλιε, τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα.

Cf. Catull. 5

vivamus, mea Lesbia, atque amemus . . .
soles occidere et redire possunt:
nobis, cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda

---

1) cf. Mimnerm. fr. 1 B p. 408 ed. III; anth. Pal. X 100; XI 19; XI 28; XI 62, ubi plura dederunt interpretes; Zingerle I p. 45 sqq.

et Horat. od. I 4, 15

vitae summa brevis spem nos vetat incohare longam,
iam te premet nox [1]) eqs.

Eos tantum contuli locos, quibus vitae brevitate ante oculos posita ad amandum adhortantur poetae, missam facio eorum multitudinem, qui omnino ob instantem senectutem vel mortem, ut vita fruamur, admonent. Nam inde a veteribus lyricis [2]) versantur in hoc loco communi poetae Graeci atque Latini, inter illos maxime Anacreontici atque anthologiae Palatinae poetae atque comici, inter Latinos Horatius [3]).

Hanc aut vitae aut pulcritudinis infirmitatem atque imbecillitatem ut illustrent, florum vel foliorum amoenitatis cito evanescentis commonefaciunt puellas saepe poetae: Prop. III 15, 51 sqq.

ac veluti folia arentes liquere corollas,
quae passim calathis strata natare vides,
sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
forsitan includet crastina fata dies.

Folia vel flores ut symbola vanitatis atque vitae humanae brevitatis usurpare inde ab Homero [4]) soliti sunt poetae Graeci atque Romani. Paulo autem diversae sunt duae sententiae, quarum altera hominum vitam fragilem caducamque cum floribus, foliis, plantis comparat, altera pulcritudinem amatae personae. Atque illam quidem pleri-

---

1) ceterum mors saepe nox vocatur. Cf. Mosch. III 111; Hom. Il. λ 241 et epigrammata sepulcralia Graeca, exempli gratia 312, 1 apud Kaibel.

2) cf. Theogn. v. 973 sqq.; 983 sqq.

3) cf. etiam Lucretium III 912; anth. Lat. 911 R; Persium sat. V 151 sqq.; Philetaerum apud Athenaeum XIII p. 570 sq. (Meineke comici III p. 295); Philostr. epist. 64 Kayser; Vergil. cop. 37 sq.; de sententia Sardanapali vide interpretes anth. Plan. 27, Buecheler mus. Rhen. 1872 p. 186 et 1883 p. 475 sq., Jahn Leipziger Berichte 1849 p. 178 sqq., maxime Naeke Choeril. p. 196 sqq.

4) Il. ζ 146 οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν et φ 464, cf. Verg. Aen. VI 310; Mimnerm. fr. 2; Simon. Ce. fr. 85 B.

que poetae Homero debere videntur [1]). De altera minus constat. Poetae enim Latini atque anthologiae Palatinae, qui saepe aut rosas aut varios flores ut imagines imbecillitatis formae humanae usurpant [2]), non nusquam amatas personas a nimio fastu deterrere conantur floribus ut exemplis vanitatis usi, fore minitantes, ut iuventute peracta solae relinquerentur:

Rufin. anth. Pal. V 74 fin

ταῦτα στεψαμένη λῆξον μεγάλαυχος ἐοῦσα
ἀνθεῖς καὶ λήγεις καὶ σὺ καὶ ὁ στέφανος [3])

cf. anth. Lat. 646 R.

vidi Paestano gaudere rosaria cultu
exoriente novo roscida Lucifero.
rara pruinosis canebat gemma frutectis
ad primi radios interitura die.

et versus extremos

collige, virgo, rosas, dum flos novus et nova pubes,
et memor esto, aevum sic properare tuum.

Quod apparet expressum esse ex Propertio, qui V 5, 59 sq. lenam loquentem facit

vidi ego odorati victura rosaria Paesti
sub matutino cocta iacere noto

cf. anth. Lat. 24 R. Fortasse hanc sententiam Alexan-

---

1) cf. Quint. Smyrn. I 345; XIV 207; Nonn. Dion. III 249 sqq. (cf. Koehler die Dionysiaka des Nonnus p. 8); Claudian. rapt. Pros. II 308; Verg. Aen. IX 433 et XI 68 sqq.; Brambach inscr. Rhen. 1053 „queri necesse est de puellula dulci . . . rosa simul florivit et statim periit"; de sculptis in sepulcris floribus vide Buecheler mus. Rhen. 1872 p. 143.

2) anth. Pal. XI 36; XI 374; XII 234; Achill. Tat. I 8, 9; Constant. Manasse IV 75 (cf. Boissonade ad hunc locum I p. 421); Philostr. epist. 17. De proverbio ῥοδὸν παρελθὼν μηκέτι ζήτει πάλιν vide Leutsch paroem. II p. 86. Hinc fluxerunt anth. Pal. V 28 fin. et XI 53; cf. Ovid. art. II 115 sqq. et III 67 sq. Denique huc pertinent Calpurnius XI 22 sqq.; Tibullus I 4, 29 sq. (vide ibi Dissen p. 94 sq.); cf. Aristaen. ep. II 1 p. 130 B.

3) cf. Marc. Argent. anth. Pal. V 118; Meineke anal. Alex. p. 397.

drinis poetis debent, a quorum aliquo assecla pulcherrimum traditum est exemplum: cf. Pseudothocr. XXIII 28 sqq.

καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει
καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστιν ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ·
καὶ κάλλος καλόν ἐστι τὸ παιδικόν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ,

quem imitatus est Nemesianus ecl. IV 21 sqq. (vide Kaibel Hermes 1882 p. 419).

Amore vero fruens poeta optat, ut luna morata noctem extendat. Cf. Prop. IV 20, 13 sqq.

nox mihi prima venit, primae date tempora noctis:
longius in primo, Luna, morare toro,
tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignes,
Phoebe, moraturae contrahe lucis iter,

loco prae ceteris Alexandrinorum ingenium sapiente. Quin ipsius Callimachi est sententia, ut recte monet Dilthey Cyd. p. 98 demonstrata Aristaeneti paraphrasi ἅπαντα δ' οὖν ὅμως βραδύνειν ἐδόκει τῷ Ἀκοντίῳ, καὶ οὔτε ἡμέραν ἐκείνης ἐνόμισε μακροτέραν[1]) ἑωρακέναι οὔτε νύκτα βραχυτέραν τῆς νυκτὸς ἐκείνης, ita ut dubitari nequeat, quae ratio intercedat inter Propertium atque Paulum Silentiarium anth. Pal. V 283

μέμφετο μελλούσης ἄγγελον ἠριπόλης.
οὐδὲν ἐφημερίοις καταθύμιον· εἴ τις Ἐρώτων
λάτρις, νύκτας ἔχειν ὤφελε Κιμμερίων[2]).

Et fortasse Aristaeneto ornatius illam sententiam executus Callimachus Acontium Solem Noctemque vel Lunam pluribus verbis adloquentem fecit. Cf. Claudianum de nuptiis Honorii et Mariae 14 sq.

incusat spes aegra moras longique videntur
stare dies segnemque rotam non flectere Phoebe

et 288

tardumque cupit discedere solem

Nonn. Dion. VII 284

---

1) cf. Apul. met. VIII 8 „de diei spatio et vesperae mora querebatur".

2) Iacobsius iam comparavit Macedonium anth. Pal. V 223.

εἰς δύσιν ὄμμα τίταινε, πότε γλυκὺς Ἕσπερος ἔλθῃ [1])
καὶ δολιχὴν Φαέθοντος ἐμέμφετο δείελον ὥρην

cf. XLII 52

Ἠέλιον λιτάνευεν, ὀπισθοτόνων ἐπὶ δίφρων . . .
μηκύνειν γλυκὺ φέγγος, ἵνα βραδὺς εἰς δύσιν ἔλθῃ [2]),

ubi Bacchus Beroen intuitus Solem adloquitur.

Atque haec habui, quae de sententiis amatoriis Propertii Graecis auctoribus vindicandis disputarem: qua in quaestione, cum persequi omnia infiniti fuisset operis, gravissima tantum elegi atque ex quibus manifesto discerneretur, utrum a Paulo Silentiario Propertii elegiae expressae fuissent necne. Iam accedamus ad propositi nostri alteram partem, qua, ipsa Propertii amatoriorum carminum argumenta num ad veteriorem quendam auctorem perducere nobis concessum sit, quaeremus.

Et primo quidem oculos advertamus ad elegiam I 2, cuius argumentum paucis verbis expressum hoc est: orat poeta Cynthiam, ne nimio cultu atque ornamento arcessito nativam perdat pulcritudinem. Nam quae nullis artibus debeatur, formam genuinam maxime sibi placere, quales et naturae amoenitates se offerant et priscarum heroidum olim fuerit species. Quae restant, in quaestionem nostram non cadunt. Atque ea sententia, unde exorta est haec elegia, puellam pulcram forma nativa magis placere, quam extraneis adventiciisque ornamentis, et in propatulo posita est et saepissime apud veteres scriptores invenitur, ita ut cavendum sit, ne, si apud duos poetas legatur,

---

1) haec fortasse secundum Homerum Od. ν 29.

2) hoc loco v. 49 quoque imitatorem Alexandrinorum esse Nonnum supra demonstravimus.

His addi possunt Dracont. VI 115 sqq.; Nonn. Dion. VII 307 Meleager anth. Pal. V 172 et 173 et XII 114; inc. anth. Pal. XII 136 aliaque. Singulariter hanc sententiam expresserunt Ovidius am. I 13, 37 „illum (Tithonum) dum refugis (Aurora) longe, quia grandior aevo, surgis ad invisas a sene mane rotas“ et Antipater Thessal. anth. Pal. V 3 γηράσκεις Τιθωνέ κτὲ, quem secutus est Nicetas Eugen. VI 620 sq. B.

statim alterum ex altero eam hausisse conicias [1]). Sed exemplis exornatur haec sententia a Propertio talibus, qualia raro cum simplici illa observatione coniungantur. Cautius tamen, quam plerique interpretes, comparemus cum Propertio Pauli Silentiarii epigramma XVII (anth. Pal. V 270). Inest enim quaedam inter hos utriusque poetae versus similitudo eius modi, ut falsam genuerit opinionem, Paulum imitatorem Propertii fuisse. Haec enim poeta Graecus: neque rosa eget coronis neque puella vestimentis luxuriosis gemmisve pretiosis; nam naturalis eius forma longe antecedit ornamentorum splendorem, qua sincera et non quaesita pulcritudine poeta captus est eqs.

Huius igitur carminis summa sententia est, puellam ornamentis non egere, quod ipsa sit ornamentis illis pulcrior, cum Propertius nusquam cum auro gemmisve puellam comparet. Deinde discrepant carminis Latini atque Graeci argumenta eo, quod Propertius puellae formam cultu corrumpi ait, Paulus puellam ornatu non egere.

Quod si cum Paulo contuleris carmen anthologiae Latinae 897 R., hoc licet serissima aetate sit compositum, ex eodem, quo Pauli epigramma, fonte fluxisse tibi videbitur. Sic enim poeta Latinus: caveat puella, ne nimio cultui studeat, quippe cuius pulcritudo lenociniis extolli nequeat. Tum sequuntur inde a versu 7 usque ad versum 24 exempla mundi muliebris, quae ipsius puellae gratia vincuntur.

v. 7. ne stringant rutilos tibi serica vincla capillos,
cum vincant rutilae serica vincla comae

1) cf. Prop. III 18, 25 „ut natura dedit, sic omnis recta figura est"; idem IV 14, 27 puellas Spartanas laudans sic ait

nec Tyriae vestes errantia lumina fallunt,
est neque odoratae cura molesta comae

id. III 29, 30; Ovid. art. I 505 sqq.; fast. II 764; Apul. met. II 10; Stobaei florilegii caput LXXIV, exempli gratia 61ª χρυσὸν καὶ σμάραγδον ἁπλῶς μὴ περιτίθεσθαι κτέ; Philostratus ep. 36 ὅπου ἀρκεῖ τὸ κάλλος ἐπιδείξει οἰκείᾳ, περιττὰ τὰ φάρμακα; Aristaen. II 21; Boissonade ad Aristaen. p. 223; Zingerle Ovidius I p. 103 et 114, aliaque permulta.

v. 11. aurea nec video cur flammea vertici portes,
aurea nam nudo vertice tota nites

v. 15. ora facis vitreo tibi splendidiora nitore,
cum tamen ora vitro splendidiora geras

v. 23. dic, teretes digitos quare anulus et lapis ambit,
cum teretes digiti dent pretium lapidi?

Vides talem cum Propertio discrepantiam, quae hunc auctorem fuisse poetae illius negare nos cogat, simulque concentum notabilem inter Paulum atque poetam incertum Latinum. Itaque aut omnes ex eisdem auctoribus, h. e. Propertius ex ipsis proxime, inferioris aetatis poeta ille Latinus et fortasse Paulus interpositis veterioribus poetis, pendere putandi sunt, aut ex Propertio Paulum, ex Paulo vero poetam Latinum hausisse existimemus necesse est. Atque huic quidem opinioni primo oculorum obtutu favere videtur, quod, quae apud Propertium Paulumque legitur comparatio puellarum pulcritudinis simplicis cum naturali amoenitate, propria quaedam est et haud vulgaris. Sed ne hoc quidem me movet, ut Paulum hanc comparationem Propertio debuisse credam. Vsitatae enim sunt apud poetas Alexandrinos laudes amoenitatum naturae, ut bene docuerunt Woermann ueber den landschaftlichen Natursinn der Griechen und Roemer (Muenchen 1871) p. 73 sqq. et Helbig Untersuchungen p. 269 sqq. Quorum auctorum ingenium Philostrati quoque epistola 27 sapit, qui et idem fructuum, stellarum, avium nativam amoenitatem cum pueri non culti venustate comparat καλὸς εἶ, κἂν μὴ θέλῃς, καὶ πάντας ἕλκεις τῷ λίαν ἀμελουμένῳ, ὥσπερ οἱ βότρυς καὶ τὰ μῆλα καὶ εἴ τι ἄλλο αὐτόματον καλόν . . . οὐδεὶς οὐδὲ ἀστέρας εἶδε κοσμουμένους οὐδὲ ὄρνιθας κτέ. Quare istam comparationem, quae et apud Propertium et apud Paulum inveniatur, communi fonti Graeco vindicandam esse pro certo habeo, ita ut aut celebres versus Alexandrini cuiusdam poetae ab utroque expressi sint, aut, quod propius ad veritatem accedere mihi videtur, illorum mentibus poetarum Alexandrinorum pervulgata sententia obversata

sit, qui sine dubio saepissime genuinam atque incultam pulcritudinem puellarum laudare solebant [1]).

Iam accedamus ad Propertii carmen III 15, ubi amoris complexu descripto puellam nudam secum cubare iubet. Haec elegia comparatur cum Pauli Silentiarii epigrammate VI (anth. Pal. V 252).

ῥίψωμεν, χαρίεσσα, τὰ φάρεα, γυμνὰ δὲ γυμνοῖς
ἐμπελάσαι γυίοις γυῖα περιπλοχάδην·
μηδὲν ἔοι τὸ μεταξύ. Σεμιράμιδος γὰρ ἐκεῖνο
τεῖχος ἐμοὶ δοκέει λεπτὸν ὕφασμα σέθεν κτέ,

qui nescio an in eodem poeta nisus sit, in quo Synesius epist. 4 παραπέτασμα ἡμᾶς ἀπετείχιζε . . . σωφρονοῦσιν ἀνθρώποις τὸ τεῖχος τὸ Σεμιράμιδος [2]), quorum in communi fonte respiciebatur proverbialis locutio, cf. Leutsch paroem. Graec. II p. 670 ad Apost. XVI 43. Certe Paulus non ex Propertio hausit, a quo id lasciviae genus alienum est.

Non nulla vero addenda sunt de Pauli epigrammate VII (anth. Pal. V 255) atque Propertii elegiis I 10, I 13, III 15. Depingit ibi Paulus amantes, qui se tam ardenter amplectantes, ut eos dissolvi posse negares, beati a poeta praedicantur. Uterque igitur poeta narrat, oscula amantium in labris commorata fuisse, beatum praedicatum esse eum, qui catena amatoria vincitus esset. Est autem argumentum, quod prae ceteris Alexandrini poetae exprimere solebant, ut docent permulta symplegmata Alexandrinorum aetate imaginibus expressa, quae enumerat Helbigius Untersuchungen p. 250 sq. et paene innumerabiles imitatorum loci, quibus similia narrantur [3]).

1) sat multa exempla exhibent horum sectatores. Maxime cf. Nonnum Dion. XLII 239 sqq. cum Pauli epigrammate. cf. praeterea Nonn. Dion. XLII 75 sqq., maxime 84 sqq., Strat. anth. Pal. XII 192, anth. Lat. 458 R. In simili argumento versatur Ovidius am. I 14. cf. etiam Philostrati epistolam 4 K.

2) Paulum imitatus est Nicetas Eugenianus VI 600 sq., ut iam vidit Boissonadius. Similes libidinosas descriptiones exhibet Nonnus Dion. XV 271 et XLII 453. cf. Jacobs ad Paulum.

3) Reposian. anth. Lat. 253 R. v. 106 sqq.; epith. Lauren-

Concedes igitur, facile fieri potuisse, ut hic eisdem auctoribus Graecis uterentur Propertius atque Paulus, cui coniecturae favet, quod voces Callimacheas indagaverunt in hoc Pauli epigrammate Naeke opusc. philol. I p. 226 et Schneider Callim. II p. 630 al. Nemini sane dubium esse potest, quin in his carminibus Propertius plus semel memor fuerit veterioris Graeci auctoris loci alicuius. Huc pertinet Prop. I 13, 17

et cupere optatis animam deponere labris.

Existimabant enim, osculo animam transire in amatam personam, cuius rei exemplum notissimum exhibet Plato anth. Pal. V 78

τήν ψυχήν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον·
ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη [2]).

Eodem referenda est catena, qua ut vinciantur, optant amantes, quamque ab Homero Od. ϑ 339—342, si quid video, desumptam usurpaverunt et poetae Latini et Graeci [3]). Certe aperte hunc locum Homericum respicit Paulus anth. Pal. V 286 v. 5 sq.

Denique suadente Diltheyo Propertium III 15, 2

lectule deliciis facte beate meis,

ubi lectum testem invocat voluptatis, quam ex amore ceperat, Alexandrinorum poetarum vestigia prementem

---

tii (anth. Lat. 742 R.) v. 80 sqq.; Dracont. VII 39 sqq.; Marc. Argentar. anth. Pal. V 128; cf. Plaut. Curc. I 3, 31 sqq. et Bacch. III 3, 76 sqq.; Lucret. IV 1185 sqq.; alia vide apud Jacobsium ad Pauli ep. VII et Boissonadium ad Aristaen. p. 719 sq.

2) in exemplis conferendis multi sunt Schedius de dis Germanis, (Amstelodami 1648) p. 319 sqq.; Medenbach-Wakker amoenitates literariae (Traiecti 1770) p. 4; Barth ad Claudianum p. 790; Gronovius observ. (Lipsiae 1831) p. 304; cf. Boissonade ad anth. Pal. V 78, ad Aristaen. p. 719.

3) quod demonstrat etiam Platonis in convivio quae invenitur, huius loci Homerici tractatio. Hanc catenam commemorat Propertius III 15, 25, fortasse Tibulli IV 5, 15 exemplum secutus; cf. Apuleium met. II cap. 5; Ovidium met. IV 679; Theodor. Prodr. ϑ 204 sq.; cf. etiam Paulum anth. Pal V 255 extr.

deprendere non cunctor. Optime enim quadrat cum Latino poeta Philodemus anth. Pal V 4, 5

σὺ δ', ὦ φιλεράστρια κοίτη[1]),
ἤδη τῆς Παφίης ἴσθι τὰ λειπόμενα

cf. Asclepiadem anth. Pal. V 181, 12 et Ticidae, qui aptissime cum Alexandrinis cohaeret poetae, fragmentum II (Mueller p. 93)

felix lectule talibus
sole amoribus.

Haec habui, quae de elegiarum illarum trium argumentis dicerem, haud ignorans, collectanea mea posse augeri ex eis, quae interpretes poetarum, de quibus agimus, praecipue Jacobsius atque Burmannus, contulerunt. Constat igitur, illud, quod modo tractavimus, argumentum veterioribus poetis Graecis bene iam cognitum atque saepissime tractatum fuisse, ita ut, cur carmina illa Latina a Paulo expressa esse[2]) existimemus, causa non sit ulla probabilis.

Inter omnes Propertii elegias cum nesciam, an illa, quae legitur III 29, maxime Alexandrinorum poetarum ingenium sapiat, dolendum est, quod non in certis testimoniis iudicium illud, sed in sensu potissimum nostro totiusque elegiae colore atque genere positum est: poeta e convivio rediens Amoribus occurrit, qui verbis eum castigant, quod noctu grassatus in publico Cynthiae, fidae puellae, obliviscatur. Cuius elegiae, proprium est, quod eventum symbolice fictum atque cogitatione tantum depictum (φαντασίαν Graeci vocant), Amorum occursum nocturnum Propertii verae vitae vel potius speciei verae vitae inserit[3]). Eiusdem generis commentum

---

1) codex φιλεράστρι' ἄκοιτις, quod emendarunt Guil. Schneider et Lennep. — Martialis X 38, 4 sqq. simul ex Propertio et ex auctoribus Graecis pendere videtur.

2) vide Huschkium epist. crit. p. 37.

3) similia quidem iam apud veteres poetas lyricos Graecos leguntur. Exempla contulit Furtwaengler Eros in der Vasenmalerei, (Muenchen 1874) p. 6 sq. Neque tamen tam proprios compluresve

Longus II 3 sqq. interposuit rerum narrationi, ubi cave casu factum esse putes, ut seni, quem cum Amore conloquentem atque de illius dei natura cum Daphnide et Chloe communicantem facit Longus, nomen Philetae datum sit. Quamvis enim libenter erotici scriptores talia nomina fingerent, quorum origo cum personarum natura consentiret, simul tamen Longus enucleate poetam celeberrimum Alexandrinum hic significat, cuius narratiunculam Longianam istam legentibus in mentem venire necesse erat. Fortasse igitur simili modo Philetas quoque luserat, cuius paegniorum unum alterumve inferioris aetatis poetarum mentibus obversari potuit. cf. cum Longo etiam Bionis fragmentum 12 Ahr. (2), ubi auceps quidam in Amorem incidit frustraque eum nancisci conatus cum sene de illius natura conloquitur.

Est igitur hoc argumentum artificium nitidum et ornatum, quod cum suapte natura auctoris personae haud adhaereret et simul inventi elegantia admodum placeret, fieri vix potuit, quin ab imitatoribus usurparetur.

Et sine dubio aptius se ad auctorem suum applicans singularem quoque illam causam ex Graeco carmine desumpsit Propertius, ut Amores nocte vagantes depingeret. Nescio equidem, an inter Latinum atque incertum poetam Graecum epigrammatis anth. Pal. V 303, ubi in Cupidinem noctu, ut videtur, per publica loca iter facientem amantes impetum faciunt, ea intercedat ratio, ut Amores noctu ludibrii causa per urbem grassantes ab utroque poeta iam in veterioribus carminibus Graecis inventi fuerint[1]). Sic Anacreont. 31 (3) quoque Cupido noctu vagans poetam visit dicitque κατὰ νύκτα πεπλάνημαι[2]).

Amores cum poeta congressos ibi invenies, cf. Furtwaengler p. 8 „wir begegnen hier (apud Euripidem) zum ersten male einer mehrzahl von Eroten."

1) cf. Addenda.

2) sunt etiam gemmae, quae Cupidines ebrios, lanternas gerentes, chlamydes indutos repraesentant, quas accurate recenset Stephani Compte Rendu pour 1877 p. 115 sq. cf. 184. Quibus for-

Denique optime cum Propertio quadrat carmen Petronii 38 B. (anth. Lat. 698 R.) e Graeco exemplari sine dubio expressum, ubi Amor dormientem poetam suscitat atque ad puellam ducit [1]).

Huic carmini annectamus elegiam I 3, cuius ratio et argumentum non uno nomine simile sua sponte iam ad tractandum invitat: poeta ebrius ad puellae lectum accedit, dormientem cum antiquis heroinis comparat, illa expergefacta eum de perfidia obiurgat.

Depingit haec elegia, in qua iudicanda fere sequor Diltheyum, graphico, ut aiunt, colore statum communem neque unius poetae singularem, Propertiique verae conditioni, qualem ex ipsius carminibus cognitam habeamus, contrarium; nam cum ceteroquin ille desiderio flagrantissimus Cynthiam expertus est dominam favoris sui potius parcam, saepe asperam, raro ipsum admittentem, ut III 29 hac quoque in elegia partes videmus mutatas et Cynthia sola, desiderio cruciata expectat frustra poetam lentum et male fidum; ante omnes Propertii elegias deinde referta haec est locis, qui aliorum poetarum carminum commonefaciant lectores, inter omnes maxime doctae pompae atque speciei respondet, non vitae veritati, qualis carminis genus initio statim designare videtur poeta coacervatis antiquarum fabularum comparationibus splendidis, dilucide se Cynthiae huius carminis magnificentia atque ostentatione blandiri velle indicans.

Atque initio quidem, ubi puellam dormientem cum heroinis antiquis comparat Propertius, memineris moris

---

tasse nulla cum Propertio res est, cum ludibundam tantum atque nugacem translationem comissationis hominum ad Amores exhibere videantur.

1) miror, Hertzbergium ad Propertii versum 16 „oculos moverit illa graves“ adnotasse „aperta Paulli Silent. imitatio ep. IX 1 (anth. Pal. V 259) ὄμματά σευ βαρύθουσι, πόθου πνείοντα, Χαρικλοῖ, οἷάπερ ἐκ λέκτρων ἄρτι διεγρομένης“, cum non Propertium, sed Meleagrum anth. Pal. V 175 expressum esse a poeta Byzantino pridem viderit Jacobsius.

Alexandrinorum poetarum, quos mens impleta artium effectivarum operum contemplatione sua sponte eo adducebat, ut heroinas celeberrimis imaginibus expressas et puellas inter se conferrent. cf. Rohde Rom. p. 155 sq. Sic etiam Charito I 6, 2 puellam falso mortuam creditam cum Ariadne dormiente, quam sculptores pictoresque totiens expresserunt, comparat κατέκειτο Καλλιρρόη . . . ἐπὶ χρυσηλάτου κλίνης μείζων τε καί κρείττων, ὥστε πάντες εἴκαζον αὐτὴν Ἀριάδνῃ καθευδούσῃ [1]). Atque ad eundem auctorem Alexandrinum ab utroque poeta expressum deducere videtur similitudo, quae interest inter Propertii versus 5 sq.

nec minus [2]) assiduis Edonis fessa choreis
qualis in herboso concidit Apidano

et Ovidii am. I 14, 21 sq.

tum quoque erat neglecta decens, ut Threcia Bacche
cum temere in viridi gramine lassa iacet [3]).

Neque vero in eis, quae sequuntur, auctorum suorum immemor fuisse, sed potius more suo ex Graecis carminibus desumptos colores in suam elegiam transtulisse videtur Propertius. Maxime huc pertinet, ne repetam, quae in commentariis satis bene tractata sunt, primum, quod Cynthia se solam relictam stamine tempus terere coactam fuisse atque postremo sommum liberasse se his curis queritur [4]). Hic vel Homerus vel aliquis Homerum imitatus poeta ante oculos Propertio fuit. cf. Od. α 363 sq.

κλαῖεν ἔπειτ' Ὀδυσῆα, φίλον πόσιν, ὄφρα οἱ ὕπνον
ἡδὺν ἐπὶ βλεφάροισι βάλε γλαυκῶπις Ἀθήνη,

cf. Charitonem I 14 extr. τοιαῦτα ὀδυρομένῃ μόλις ὕπνος ἐπῆλθεν αὐτῇ. Sed Propertius, qui Sommum aliis soporem immittere ait, singularem huic sententiae colorem addidit

---

1) in Ariadnen dormientem scripta sunt etiam duo epigrammata anthologiae Planudeae 145 et 146.

2) eleganter Heinsius coniecit „Maenas et".

3) memoratu dignum esse videtur, quod puellas atque pueros somno lapsos libenter a saeculi quarti artificibus poetisque depictos esse demonstravit Helbigius Untersuchungen p. 251 sqq.

4) cf. descriptiones Tibulli I 3, 83 sqq., Ovidii her XIX 33 sqq. al.

dum me iocundis lapsam sopor inpulit alis.

quocum versu conferenda sunt ea, quae Passeratius ad Propertium p. 158 contulit exempla, quibus adde Silium Italicum X 353 sqq.

ast ubi, per tacitum allapsus, tentoria prima
Barcaei petiit iuvenis, quatit inde soporas
devexo capiti pennas oculisque quietem
irrorat tangens Lethaea tempora virga

et Statium Theb. X 148

cum vero humentibus alis
incubuit, piceaque haud unquam densior umbra
castra subit, errare oculi eqs,

quod ut Alexandrinis poetis vindicem, maxime Callimachi versus me movent, qui leguntur in hymno in Delum 233 sq. pridem a viris doctis cum Propertiano illo versu comparati

κείνῃ γ' οὐδέ ποτε σφετέρης ἐπιλήθεται ἕδρης,
οὐδ' ὅτε οἱ ληθαῖον ἐπὶ πτερὸν ὕπνος ἐρείσῃ,

ad quem locum Schneider p. 311 imitationes Nonnianas affert.

Maioris etiam hoc loco momenti sunt Propertii versus 13 sq.

et quamvis duplici correptum ardore iuberent
hac Amor, hac Liber, durus uterque deus,

quos fortasse recte Ruhnkenius epist. crit II p. 175 ex Callimacho fluxisse censuit. Sed poetae amatorii frequenter hanc sententiam usurpantes, celeberrimam eam fuisse apud poetas Alexandrinos docent. Sic enim Callimachus epigr. XLIII Schn. (anth. Pal. XII 118) v. 3 sq.[1]), cum invitum se coactum fuisse ad comissandum contenderit

---

1) correxit lectionem Dilthey ind. lect. Gotting. 1878/79 p. 20. — Vinum amorem auget: cf. Ovid. rem. 805 sq. cum anth. Pal. XI 49; Ovid. her. XVI 230; met. XII 220 sq. al. Itaque Rufinus anth. Pal. V 93 non Propertium, sed, cuius facilior ei erat aditus, Callimachum vel alium quendam poetam Graecum ante oculos habuisse putandus est. cf. Posidippum anth. Pal. XII 120.

Ἄκρητος καὶ Ἔρως μ' ἠνάγκασαν, ὧν ὁ μὲν αὐτῶν
εἶλκεν, ὁ δ' οὐκ εἶα· τὴν προπέτειαν ὅρα.

Et mihi quidem illam fictam personarum introductionem vel ex Callimacho vel ex alio poeta Alexandrino sumpsisse videtur Propertius; cf. Ovidium am. I 6, 59 sq.

Nox et Amor Vinumque nihil moderabile suadent [1])
illa pudore vacat, Liber Amorque metu

et anth. Lat. 813 R. v. 28 sq.

hortante Bacchо et Venere dulces perficit
aequalitatis inter plausus nuptias.

Plura dederunt Rohde Rom. p. 160 n. 3, Dilthey index lect. Gottingens. 1878/79 p. 18 et n. 3 ib. alii.

Jam ex eis, quae adhuc disputavimus, luce clarius apparebit, Propertium in elegia I 3, et quod argumentum et quod singulos quosdam sermonis flores attinet, pendere ex Alexandrinis auctoribus. Quae cum ita sint, notabile est, quod cum hoc ipso carmine I 3, cuius argumentum Propertius non suo ipsius ingenio, sed veterioribus poetis Graecis debuit, Pauli Silentiarii epigramma anth. Pal. V 275 comparatur, ubi poeta adiisse se puellam dormientem atque eius amore fructum fuisse ait, argumentum spurce detorquens, quod a Propertio alienissimum est [2]).

---

1) cf. Terent. Ad. III 4, 24 „persuasit nox amor vinum adulescentia."

2) falso igitur Huschke epist. crit. p. 40 Propertii elegiam imitatum esse Paulum contendit. Ac ne Ovidium quidem vel Pseudovidium her. V 140 sqq. ante oculos ibi poetae Byzantino fuisse, credere possum. Nam Ruhnkenius, qui epist. crit. I p. 72 hanc sententiam primus, ni fallor, protulit, ipse eam impugnavit collatis sat multis locis, quibus amatoris capillos ab irata puella scissos esse legatur. Neque altera illa sententia Paulo-Ovidiana, quae puellam pretio se vendere noluisse ait, tam singularis est, ut eam ex Ovidio sumpsisse Paulum putes.

Itemque errant Dorvillius misc. obs. III p. 443 atque Hertzbergius Q. P. p. 230, qui Pauli Silentiarii epigramma anth. Pal. V 262, 4

ἱσταμένης δ' ἄγχιστα τεθήπαμεν ὄμμα γεραιῆς,
οἷα πολύγληνον βουκόλον Ἰναχίης

adumbratum esse censent ex Propertii versibus 19 sq.

Similem conditionem depingit Marcus Argentarius anth. Pal. V 118.

Post convivium autem comissantis ad puellam iuvenis frustraque illius fores pulsantis miserias poetae et Alexandrini et Romani libenter describunt. Quibus in narrationibus non nulla quidem figmenta utriusque linguae poetis communia inveniuntur[1]). Neque fere ullus elegiacorum poetarum praetermittebat carmen componere, in quo amator ante clausam puellae ianuam stans durum eius animum flebili cantu mitigare conaretur. Cuius generis carmina, quae παρακλαυσίθυρα vocantur a Plutarcho amator. 8, composuerunt Horatius od. III 10, Tibullus

---

sed sic intentis haerebam fixus ocellis
Argus ut ignotis cornibus Inachidos

Similitudo interesset inter hos locos, si legeretur οἷα πολύγληνος βαυκόλος Ἰναχίην. Immo Argum proverbialem locum obtinuisse merito conieceris comparatis Apuleio met. II 24 „hominem perspicaciorem ipso Lynceo vel Argo", Luciano quo modo historia conscribenda 10 ὀξύτερον τοῦ Ἄργου ὁρῶντας, Constantino Manasse II 86 B. Melius comparaveris Propertii versum 19 cum Achille Tatio I 4, quem expressit Nicetas Eugen. IV 133 (vide Boissonade p. 205), Xenophonte Ephesio I 3, 1, Nonno Dion. XLII 47, Musaeo 78 aliisque. Sed rem tam incertam in dubio relinquere malo.

1) saepius exempli gratia de tempestatis iniquitate queruntur iuvenes amatae personae ianuam adeuntes (Asclep. anth. Pal. V 167 et 189; Horat. od. III 10; Tibull. I 2, 29 sq.), sed neque atroci tempestate deterrentur neque grassatorum in se versas manus timent (Posid. anth. Pal. V 213, 3; Tibull. I 2, 25; Ovid. am. I 6, 14), frustra deinde de puellae crudelitate questi non nusquam osculis posti vel limini datis discedunt (Theocr. XXIII 18; Lucret. IV 1171, Prop. I 16, 42; sed Callim. anth. Pal. XII 118 lectionem φλιήν falsam esse docuit Dilthey ind. lect. Gotting. 1878/79 p. 14 sq.) vel coronam in foribus suspendunt (Meleag. anth. Pal. V 191; Prop. I 16, 7; Dissen ad Tibullum I 2, 14), nocteque teste utuntur infortunii sui (Asclep. anth. Pal. V 164; Meleag. anth. Pal. V 191; cf. Prop. I 16, 23; II 9, 41). — Mirum est, quod apud Paulum Silent. anth. Pal. V 281 legitur: amans ibi aqua perfusus ab irata puella hac ipsa aqua maiorem se accepisse amoris ardorem ait, quod ex comoedia quadam sumptum esse putat Benndorfius Griech. Vasenbilder 1877 p. 91 sqq. collata vasis pictura tab. 44. cf. Horat. sat.

I 2, Propertius I 16, Ovidius am. I 6 [1]), Theocritus III, Pseudotheocritus XXIII; denique paraclausithyra tamquam compendiaria admodum multa extant inter anthologiae Palatinae epigrammata, cf. V 23 (Callim.), V 164 et 189 (Asclep.), V 191 (Meleag.), VI 71 (Paul. Sil.).

Licet vero Ovidio non credamus, qui fast. IV 109 sq.

primus amans carmen vigilatum nocte negata
dicitur ad clausas concinuisse fores,

paraclausithyron primum fuisse artis poeticae genus contendit, antiquissimum tamen fuisse morem, ut exclusus amator relicta sodalium turba [2]) solus ante clausam ianuam caneret, quis est qui neget? Primus autem, quod sciam, qui memoriae prodidit tale carmen ad popularis poesis exempla compositum, Alcaeus fuit. cf. eius fragm. 56 B. p. 948

δέξαι με κωμάζοντα, δέξαι, λίσσομαί σε, λίσσομαι

Non tam deinde ex hoc, quam ex vulgari hominum consuetudine poetae comici excepisse hunc morem videntur. Atque apud Alexandrinos quoque poetas usitata esse paraclausithyra, et huius generis indoles atque habitus cum istorum poesis ingenio atque sapore bene congruens et epigrammata illa supra allata demonstrare videntur. Et fortasse, quod saepius facere solebant, hac quoque in re etiam poetae Alexandrini popularia carmina imitati sunt. Quos num Latini poetae etiam in paraclausithyris canendis secuti sint, non plane liquet, ex Romanorum vero poetarum concentu illa quoque carmina ex Alexandrinis poetis profecta esse cum aliqua veri similitudine

---

II 7, 90 sq., cf. etiam Plauti Amphitruonis frg. 4 in edit. Goetzii et Loewii p. 115, et fortasse eadem res est in Lucilii fragmento, quod apud Lachmannum est v. 824 sq.

1) non huc pertinet, quod vulgo citant, Catullianum carmen 67. Singularem colorem paraclausithyro suo adscivit Tibullus inter convivium recordatus temporis, quo ante clausam puellae ianuam stetisset.

2) de verbi κῶμος origine disputans rem acu tetigit Welckerus ad Philostratum p. 202 sqq. — Amatorum caterva quo modo impetum fecerit in puellae ianuam, copiose narrat Lucianus bis accus. 31.

existimaveris. Sed certi quidquam vereor ut unquam investigari possit.

Repudiatum deinde amatorem relicta urbe in silvarum solitudinem recedere, apud arbores fatum suum queri, arbores saxaque fidei testes invocare, denique amatae personae nomen arborum cortici incidere, inde ab Alexandrinis poetis saepissime legitur, id quod aperte demonstraverunt Dilthey Cyd. p. 74 sqq., Schneider Callimachea II p. 103, Helbig Untersuchungen in capite XXIII, Rohde Rom. p. 158 sqq., Woermann ueber den landschaftlichen Natursinn p. 75 sqq. Exempla non nulla contulerant iam Barthius ad Propertium I 18, 22 et Burmannus p. 932.

Notum est, Callimachi Acontium in agros se contulisse, ut amoris dolores sedaret[1]); praecipue Nonnus[2]) hac in re sedulus est Alexandrinorum sectator; cum ceteri bucolici poetae, tum Theocritus[3]) exempla exhibent eiusdem argumenti. cf. etiam Ovid. met. III 441 sqq.

ad circumstantes tendens sua bracchia silvas
„ecquis, io silvae, crudelius“ inquit „amavit?
scitis enim, et multis latebra opportuna fuistis.
ecquem, cum vestrae tot agantur saecula vitae,
qui sic tabuerit, longo meministis in aevo?“

Nam arbores quoque amorem sentire dicebantur. cf. Prop. I 18, 19 sq.

vos eritis testes, si quos habet arbor amores[4]),

quod vere Callimacheum est. cf. Dilthey Cyd. p. 78 sq.

De nominibus vero corticibus vel foliis incisis egerunt Dilthey Cyd. p. 81 sqq., Rohde p. 162, Bentley ad Callim. fr. 101, ceteri, quos supra commemoravi, viri docti. cf. Flori epigramma anth. Lat. 248 R.

---

1) Dilthey l. c. p. 74, Schneider II p. 358 sqq.

2) cf. Dion. XV 297 sqq.; XXXIII 312 al.

3) quem sequitur Vergilius in ecloga II.

4) Rohde p. 158 n. 2, Boissonade ad Nicetam Eugen. IV 142 (I p. 206).

quando ponebam novellas arbores mali et piri,
corticis summae notavi nomen ardoris mei eqs.

Hoc quoque in Callimachi Cydippa legebatur et apud Alexandrinos poetas omnino frequentissime, ante quorum aetatem nemo tam teneram sententiam carmini alicui inseruit. Quod si quis nubem illam exemplorum, quam congesserunt viri illi docti, inspexerit, in dubium vocare non poterit, quin Propertius quoque I 18, 22

scribitur et vestris Cynthia corticibus

memor fuerit moris illius poetarum, quos alias quoque sequentem eum vidimus [1]).

Hactenus de eis disputavimus elegiis epidicticis atque Alexandrinorum ingenium prae se ferentibus, in quibus fictos amoris sui casus vel argumenta amatoria commenticiis et aliunde adscitis rebus exornata describit poeta. Finitima quodam modo sunt, quae huic quaestioni subiungam ad eas, quae in elegiis III 12 et 30 continentur, A m o r i s d e s c r i p t i o n e s pertinentia. Nam ex hoc Propertii carmine III 30 argumentum sumpsisse epigrammatis sui XXXVI (anth. Pal. V 301) Paulum Silentiarum existimat Hertzbergius (in commentario suo p. 200), ita ut in horum Propertii carminum causas inquirere a proposito nostro haud alienum sit.

Atque primum quidem variae distinguendae sunt occasiones, quas poetae amatorii ad describendum Cupidinem arripuerunt. Modo enim Amorem fugitivum depingunt, ita ut corporis notas, quibus agnosci possit, eis edant, qui eum persequuntur [2]); modo venum euntis na-

1) cf. etiam Helbig Wandgemaelden. 1280, Untersuchungen p. 112, Jahn Beschreibung der Vasensammlung Koenig Ludwigs p. CXXII sq. — Nullius pretii sunt, quae Sperling Properz in seinem Verhaeltniss zum Alexandriner Kallimachus (progr. gymnas. Stralsund. 1879) p. 11 de hac re dixit in opusculo minime ea praestante, quae inscriptio pollicetur. Ignoravit enim Sperling, nisi comparatis diligenter omnibus, quos ex Alexandrinis pendere sciamus, auctoribus illam quaestionem institui non posse.

2) cf. Meleagrum anth. Pal. V 177:
κηρύσσω τὸν Ἔρωτα τὸν ἄγριον· ἄρτι γάρ, ἄρτι

turam artesque exponunt [1]); modo imaginem Cupidinis contemplati describunt [2]); modo artifices, qui Amoris formam repraesentaverunt, aut ob perfecte exactam veritatem laudibus extollunt, aut ut dei verae naturae ignaros vituperant; modo Amoris vim atque impetum inevitabilem demonstrant dei arma telaque singula verbis depingentes.

Haec duo argumenta, quae ultimo loco posuimus, unde sumpserint poetae, haud inutilis est deliberatio. Atque primum quidem Propertius III 12 artifice, qui Amoris formam imagine expresserit, laudato deum describit, qualem arte depictum videre solitus est. Inveniuntur in eroticis scriptis, quae apte hic conferri possint [3]), sed graviores sunt, quorum fortasse ipse Propertius non immemor fuit, Eubuli versus apud Athenaeum XIII p. 562 (Meineke comici III p. 226) pridem cum hac elegia comparati

τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα
ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον;
ὡς οὐδὲν ἦδει πλὴν χελιδόνας γράφειν
ἀλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ . . .
ἔστιν γὰρ οὔτε κοῦφος οὔτε ῥᾴδιος
ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον
βαρὺς δὲ κομιδῇ· πῶς ἂν οὖν ἔχοι πτερὰ
τοιοῦτο πρᾶγμα; λῆρος, εἰ κἄφησέ τις,

quamquam hic in artifices invehitur poeta, Propertius eos

ὀρθρινὸς ἐκ κοίτης ᾠχετ' ἀποπτάμενος,

de quo vide Dilthey ind. lect. Gotting. 1878 p. 3 sq. Maiorem etiam gloriam nactus est Moschus, qui in idyllio II (anth. Pal. IX 440) Venerem describit Amorem amissum quaerentem atque proclamantem, se pretium osculum daturam esse ei, qui sibi vestigia filioli demonstret, quod expressit Nicetas Eugen. IV 155 sqq.

1) Meleager anth. Pal. V 178

πωλείσθω, καὶ μητρὸς ἔτ' ἐν κόλποισι καθεύδων κτὲ

cf. etiam Anacreont. 10 (77). De Amoris venalis imaginibus cf. Jahn archaeol. Beitraege p. 211 sqq., Mueller-Wieseler Denkmaeler II n. 660, Helbig Untersuchungen p. 237 extr.

2) Philostr. imag. I 6, Callistrat. ecphr. 3, cf. Eustath. II 7 (p. 174 Hercher).

3) exempli gratia cf. Charitonem IV 7, 6.

laudat. Idque ego, quoniam ad praesentem quaestionem minus pertinet, iniudicatum relinquens hoc tamen statuere posse mihi videor, non ex suo ingenio id argumentum hausisse poetam Latinum, sed secutum fuisse veteriorem quendam auctorem in laudando illo Amoris pictore. Quamquam Tzetzes Chiliad. V 500

ὡραῖον νέον μείρακα τὸν Ἔρωτα ζωγράφοι,
τοξότην ζωγραφοῦσι τε σύναμα καὶ πυρφόρον
καὶ πτερωτὸν κατέχοντα δελφῖνα τε καὶ πόαν,

num fontibus usus sit hodie obrutis, iure tuo dubites.

Sed in singulis quoque sententiis, quibus Amoris notae sensibus perceptae quid sibi velint, interpretatur Propertius, saepius miro quodam modo consentit cum Graecis auctoribus. De versu 14

sed certe pennas perdidit ille suas

supra iam verba fecimus. Questus vero, quod Amor in corde suo volans inde nunquam discederet [1]), deum orat, ut deserto tenui poetae corpore alios homines petat v. 17 sqq.

quid tibi iocundum est siccis habitare medullis?
si pudor est, alio traice tela tua.
intactos isto satius temptare veneno:
non ego, sed tenuis vapulat umbra mea

cf. Ovidium am. II 9, 13 sqq.

quid iuvat in nudis hamata retundere tela
ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.
tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellae:
hinc tibi cum magna laude triumphus eat,

quod ex Graeco carmine fluxisse comparato epigrammate anth. Pal. V 98 haud ex vano conicias

ὁπλίζευ, Κύπρι, τόξα, καὶ εἰς σκόπον ἥσυχος ἐλθὲ
ἄλλον· ἐγὼ γὰρ ἔχω τραύματος οὐδὲ τόπον [2])

1) conferas etiam praeter locos p. 18 allatos Theophrastum in Stobaei florilegio LXIV 27 (Ἔρως) ταχεῖαν μὲν ἔχων τὴν πρόσοδον, βραδεῖαν δὲ τὴν ἀπόλυσιν, Plutarch. de amore ὁ ἔρως . . . οὐ παρέρχεται ταχέως καίπερ εἶναι πτηνὸς λεγόμενος . . . ἀλλ' ἁψάμενος τῆς ψυχῆς παραμένει πολὺν χρόνον, Ovid. art. I 234 al.

2) corruptum est ἥσυχος. cf. etiam Meleagrum anth. Pal. V 215 (= XII 19 b) 3 sq.

Deinde sensu carere amantes, sicut Propertius (v. 3), Graeci quoque dictitabant[1]). Denique cum Propertii elegiae fine comparandus est Asclepiades anth. Pal. XII 46. Quae cum ita se habeant, notabile est, quod versus Antagorae, qui leguntur apud Diogenem Laertium Crantor. IV 26 sq.

ἐν δοιῇ μοι θυμός, ἐπεὶ γένος ἀμφήριστον,
ἤ σε θεῶν τὸν πρῶτον ἀειγενέων, Ἔρος, εἴπω
τῶν ὅσσους Ἔρεβός τε πάλαι βασίλειά τε παῖδας
γείνατο Νὺξ πελάγεσσιν ὑπ' εὐρέος Ὠκεανοῖο·
ἤ σέ γε Κύπριδος υἷα περίφρονος, ἠέ σε Γαίης,
ἢ Ἀνέμων· τοῖος σὺ κακὰ φρονέων ἀλάλησαι
ἀνθρώποις ἠδ' ἐσθλά, τὸ καὶ σέο σῶμα δίφυιον,

celeberrimos fuisse atque praecipue ab Alexandrinis poetis respectos, observat Wilamowitz philologische Untersuchungen IV p. 69 sq., qui ita pergit „zugleich sehen wir hier das thema angeschlagen, das schliesslich zu Properz führt ‚quicunque ille fuit puerum qui pinxit Amorem — idem non frustra ventosas addidit alas', und das geht auf den Πτέρως des Platonischen Phaidros im Grunde zurueck" cf. Ovidium am. II 9, 49 (Amorem adloquitur)

tu levis es multoque tuis ventosior alis
gaudiaque ambigua dasque negasque fide.

Fortasse igitur comparatis his omnibus cum Philetae, de qua egimus, narratione apud Longum II 4 sqq. inter nos conveniet, Propertii in elegia III 12 componenda animo obversatum esse poetae alicuius Alexandrini carmen, ex quo lumina haud pauca sublegerit atque elegiae suae inseruerit, ita ut traditam ab hoc poeta Alexandrino sententiam illam Antagorae quoque imitando exprimeret.

Denique saepius poetae, fieri posse, ut Amoris pernicitatem effugias, negant, frustraque eius potestati mortales reluctari contendunt, qua occasione data dei formam atque arma describunt. Sic Meleager anth. Pal. V 179

1) saepius philosophi μαινομένοις amantem accensent. cf. etiam Antiphan. apud Stobaeum floril. LXIII 12 (Meineke com. III p. 630) al.

Ἔρωτος δυσνικήτου arma depingit, atque libenter anthologiae Palatinae poetae huic deo alato renisum mortalem in iniquum certamen descendere asseverant. cf. Archiam anth. Pal. V 59

φεύγειν δεῖ τὸν Ἔρωτα; κενὸς πόνος· οὐ γὰρ ἁλύξω
πεζὸς ὑπὸ πτηνοῦ πυκνὰ διωκόμενος [1]).

Cui vero non Propertii venit in mentem legenti Pauli Silentiarii epigramma XXXVI (anth. Pal. V 301)?

εἰ καὶ τηλοτέρω Μερόης τεὸν ἴχνος ἐρείσεις,
πτηνὸς Ἔρως πτηνὸν κεῖσέ με ῥᾳστα φέρει [2]),
εἰ καὶ ἐς ἀντολίην πρὸς ὁμόχροον ἵξεαι Ἠώ,
πεζὸς ἀμετρήτοις ἕψομαι ἐν σταδίοις [3]),

quocum pridem comparata est Propertii elegia III 30

quo fugis, a demens? nulla est fuga: tu licet usque
ad Tanain fugias, usque sequetur Amor,
non si Pegaseo vecteris in aere dorso,
nec tibi si Persei moverit ala pedes,
vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
nil tibi Mercurii proderit alta via,
instat semper Amor supra caput, instat amanti,
et gravis ipsa [4]) super libera colla sedet eqs.

Maior tamen verborum quam sententiarum similitudo est. Nam Propertius neminem esse, qui vel longissimo citissimove itinere Amorem fugere possit, Paulus vero se puellae vel longissime proficiscentis duce Amore vestigia pressurum esse asseverat. Et, ni magnopere fallor, duas sententias conglutinavit poeta Graecus: amantis enim a puellae latere nunquam discedentis cogitationem commiscuit cum admonitione illa satis trita, ne quis Amoris sagittas alasve effugere conetur, et utraque sententia con-

1) cf. Rohde ad Achillem Tatium p. 62, 1 sqq. Rom. p. 480 n. 4, Boissonade ad Nicetam Eugen. IV 118 (p. 200 sq.), Nicet. Eugen. IV 410 et VIII 100 B., anth. Plan. 213.

2) sic Dilthey; codex κεῖσέ με ὥστε φέρειν; Hermannus μ'οἷός τε φέρειν scripsit.

3) quae sequuntur, falso cum his versibus coniuncta sunt.

4) „ipsa" Beroaldus scripsit pro „ipse".

iuncta probat Cupidinem constanter adhaerere eis, quos sibi semel subiecerit: de illo figmento bene conferas Propertium III 26, 29 sq.

seu mare per longum mea cogitet ire puella,
hanc sequar et fidos una aget aura duos

et Arethusam Prop. V 3 se maritum comitari non posse questam [1]). Iam igitur in aperto est nihil hic esse Paulo cum Propertio. Profecto enim, quod apud utrumque regio certa aliqua longe remota nominatur, usque ad quam fugere possis, non sufficit, ut Paulum totum carmen ex Propertio deprompsisse iudicemus [2]).

Postremo, ne quod carmen, in quo gravem personam sustinet Amor, praetermisisse videamur, appendicis loco pauca moneamus necesse est de illis versibus, qui leguntur II 9, 37 sqq.

nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
tela, precor, pueri, promite acuta magis,
figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam:
sanguis erit vobis maxima palma meus.

Magni enim momenti sunt hi versus, quod Propertium aperte Posidippi, poetae vere proprieque Alexandrini, qui Ptolemaeis Philadelpho et Euergete regnantibus vixit, vestigia prementem ostendunt, exemplumque sunt notabile, quantum lucri afferat, ut supra iam monuimus, comparatio Propertii atque auctorum eius Graecorum, cum Burmanni errorem hic verbo „pueri“ servos significari rati collato Posidippi epigrammate anth. Pal. XII 45 correxerunt Huschkius (ep. crit. p. 6) et Hertzbergius

ναὶ ναὶ βάλλετ', Ἔρωτες· ἐγὼ σκοπὸς εἷς ἅμα πολλοῖς
κεῖμαι· μὴ φείσησθ', ἄφρονες· ἦν γὰρ ἐμὲ

---

1) altera quoque cogitatio Alexandrinis poetis notissima erat: primus, ni fallor, Euripides Med. 531 (cf. 634) τόξα ἄφυκτα Amori tribuit. Deinde huc pertinent Theocr. XXVII 19; anth. Pal. V 93; 139, 3; 188; XII 45; 82; 120; Phaborin. Stob. floril. LXIV 26 al.

2) cf. Constant. Man. II 87 sqq., cum Propertio eiusdem versum I 25 contulit Boissonadius p. 402.

νικήσητ', ὀνομαστοὶ ἐν ἀθανάτοισιν ἔσεσθε
τοξόται, ὡς μεγάλης δεσπόται ἰοδόκης,

qui, sicut Propertius, ironice gloriam magnam adepturos esse Cupidines subacto uno poeta ait. Simili colore affecit elegiam suam am. II 9 Ovidius in versu 6

cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos?
gloria pugnantes vincere maior erat [1]).

Fortasse inter Alexandrinos poetas Posidippus neque solus neque primus illam sententiam expressit.

Atque hac altera quaestionis nostrae parte peracta iam confidentius de ea, quae inter Propertium atque Paulum Silentiarium intercedit, ratione iudicare nobis licebit. Quam ut recte intellegamus, primum, quantum intersit inter poetarum Alexandrinorum imitationem Propertianam atque Byzantinam, considerabimus necesse est.

Nam mihi non minus ei errare videntur, qui Propertium, praecipue in describendo amore suo, veros eventus aut veros animi affectus adumbrasse negant [2]), quam si qui omnium eius carminum causas ex vitae veritate depromptas esse existimant. Cum enim exempli gratia in elegia I 2 Propertium sine dubio memorem fuisse poetarum Alexandrinorum, elegiam I 3 a vitae veritate remotissimam magnificae tantum pompae respondere, in elegia I 18 argumentum inter Alexandrinos poetas paene publicum exornari supra demonstraverimus, ex laudibus Cynthiae, quae continentur elegia II 3, plurima sublegisse poetam ex Graecis suis auctoribus nisi temeraria obloquendi cupidine captus nemo neget, in elegia I 16 aliisque non soli Propertio proprias conditiones describi constet, non tamen desunt vestigia, vitae ipsius fata Propertium saepe ad carmina pangenda inflammasse. Primum quos Propertius I 4; 5; 6 al. amice appellat aequales,

1) cf. Tib. I 6, 3 et I 8, 49 et Dissen ibi; Ovid. met. XII 292.

2) quod nuper satis audacter fecit Faltin progr. gymn. Eisenberg. 1876 p. 17, 20, 22. Etiam Leo philol. Untersuchungen II 1881 p. 20 sq. hac quidem in re falli mihi videtur.

eos vixisse, eorum res non fictas, sed veras in his carminibus respici, vix quisquam, ut iam supra monui, serio negabit; tum iter illud Cynthiae, cuius meminit poeta I 8, nemo unquam docebit fictum, nemo aemulum illum, praetorem Illyricum, diligenter descriptum atque designatum ex animi sollertia inventum esse vel nunquam vixisse (III 16). Porro ex ipsius poetae vita fluxerunt argumenta carminum I 11 Cynthiam Bais versantem ostendentis atque I 12 poetam discidium puellae querentem. Atque sane sentire nobis videmur, Cynthiam Propertio abalienatam (I 15; II 8) doloris, faventem (III 14) gaudii veras causas dedisse. Ira quoque illa, qua contra aemulos suos incensus erat (II 6 et 9; III 24 b et 25), veritatem spirat; vero et subito gaudio incensus, si quem suum sonum habet sensus verus et praesens, exultat I 8 b; puellae morbum sincere queritur Propertius III 28; neque simulato dolore Cynthiam deserit IV 24 et 25 (cf. III 11).

Sed qui Pauli Silentiarii epigrammata amatoria inspiciet, considerationes inveniet permultas omnium fere scriptorum eroticorum communes, cogitationes vulgatissimas, sententias rhetoricas atque extrinsecus acquisitas, carminum argumenta quae non ex ipsius poetae vita profecta esse videantur; nihil fere in his ita legentium animos movet, ut verum, quo affectus sit poeta, casum depictum esse existiment; nusquam vivaci verove sensu poeta exardescit; ne puellas quidem, a quibus se amore esse incensum fingit, re vera vixisse putaveris [1]). Ad huius generis argumenta pertinet amans de noctis brevitate querens (anth. Pal. V 283); poeta amoris doloribus marcescens (ib. 239 et 264); amator, quo pacto puellae discidium toleraturus sit, nesciens (ib. 254; cf. 241); poeta furtivum amorem commendans (ib. 219); magicam inesse

1) quarum nomina plerumque ita sunt conformata, ut aut eorum origo ad amorem vel pulcritudinem spectet, ut Philinna, Chariclo, Rhodope, aut ex antiqua historia vel mythologia petita sint, ut Lais, Sappho, Galatea, Doris al.

artem malis sibi a puella datis suspicans (ib. 290); in se omnia Amoris tela consumpta esse dolens (ib. 268); Tantali[1]) rupem timentis tormenta leviora esse quam amantis, qui puellam praesentem osculari nequeat, contendens (ib. 236); in oculos ut infelicis amoris reos[2]) invectus (ib. 226) alia. Eventus quoque, quos describit poeta Byzantinus, velut amantium amplexus ille, qui depingitur anth. Pal. V 255 (cf. 272; 275; 286), atque comissatio amantis a puella aqua perfusi (ib. 281), fictos esse primo statim oculorum obtutu intelleges; fere omnia a vitae veritate remota, omnia ita comparata sunt, ut omnibus poetis amatoriis consentanea sint; nihil nativi, nihil novi, nihil proprii invenies, omnia accommodata ad veteriorum auctorum ingenium.

Itaque cum Paulus propius ad fontes suos accesserit et servilius artiusque sese ad vetustiora carmina applicaverit, Propertius vero liberius atque solutius et veros neque ex ullo alio poeta desumptos sensus vivaci colore expresserit, et potentiore quam Byzantini poetae ingenio atque spiritu incensus, assidua auctorum suorum, quorum linguae erat peritissimus, lectitatione nutritus aliena plerumque sua fecerit, ut propria assimili ratione usurpaverit, similiaque inveniendi quoque facultatem sibi paraverit[3]), caveamus necesse est, ne perspecta levi quadam verborum similitudine statim ex ipso Propertio hausisse Paulum iudicemus.

Deinde notabile est, quod eas tantum, quarum argumenta pervulgata atque trita fuisse apud poetas Alexandrinos docuimus, elegias cum Pauli epigrammatis comparant: elegiam I 2 cum Paulo anth. Pal. V 270; Proper-

---

1) erat proverbialis, ut apud nostrates, sic apud veteres locutio. cf. Leutsch paroem. Graec. II p. 657 sq. et 772.

2) cf. Addenda.

3) cf. Paldamus Roemische Erotik p. 48; Huschke epist. crit. p. 5; Rohde Rom. p. 123 sq., qui licet iusto licentius, Corinnam Ovidii personam omnino fictam esse contendat, optime tamen distinguit inter amatoria Ovidii commenta atque Tibulli Propertiique artem.

tium I 3 cum Paulo ib. 275; Propertium III 15 (cf. I 10 et 13) cum Paulo ib. 252 et 255; Propertium III 30 cum Paulo ib. 301. cf. Hertzbergium Q. P. p. 230[1]), ita ut facile colligas, unde exorta sit ea similitudo: ex veterioribus enim Propertio Graecis auctoribus desumpsit talia argumenta uterque poeta.

Nam Alexandrinos poetas non solum notos fuisse Byzantinis illis sexti saeculi scriptoribus, sed etiam imitando expressos atque spoliatos fere esse, nemo est qui nesciat. Qui modo ipsum Callimachum eiusque aequales ante oculos habebant — id quod vocibus Callimacheis maxime in Agathiae, Pauli amici, carminibus indagatis demonstraverunt Naeke, Dilthey, Schneider —, modo interpositis uno vel compluribus epigrammatum scriptoribus circuitione atque per ambages ex Alexandrinis pendebant.

Neque enim — quod novum mihi documentum esse videtur, quam falso Jacobsius, Hertzbergius, Huschkius, ceteri viri docti de hac ratione iudicaverint — ullo tempore usque ad sextum saeculum ex Alexandrinis poetis flores decerptos ipsorum carminibus inserere desinebant poetae Graeci: non modo anthologiae Palatinae poetae, sed etiam Nonnus, Musaeus, Aristaenetus, Philostratus, erotici qui dicuntur scriptores, qui nusquam Latinorum poetarum elegias imitabantur, Alexandrinorum vestigia premebant, aut ipsi ad illum large scatentem fontem ora admoventes aut, vel remotissimi, per manus traditam aquam haurientes. Quod quia nemo in dubium vocare potest, haud bene intellegitur, cur suo arbitrio illi viri docti continuo hoc traditionis ordine interrupto inde a Pauli Silentiarii tempore non Graecos, quorum facilior eis erat aditus, sed Latinos auctores secutos fuisse poetas Byzantinos censuerint, cum eodem iure alios quoque epigrammatum scriptores, itemque Nonnum, Musaeum, cete-

1) facili negotio, quas praeterea affert, similitudines locis fere contineri communibus omnium fere poetarum amatoriorum demonstrare poteris. Gravissima quaeque in disputatione mea tractavisse mihi videor.

ros ex Latinis pendere omnes statuere possis. Hi enim, praesertim vero saeculi quinti et sexti epigrammatum poetae eo tantum a Paulo differunt, quod non tam multos locos similes cum Romanis comparati exhibent, quam Silentiarius.

In tertia opusculi huius parte meum esse putavi pauca addere de eis, quae epicedia vocantur, carminibus, qualia haud pauca cecinit Propertius. cf. I 21; IV 7 et 18; V 7 et 11[1]). Digna enim sunt, in quae paulo diligentius inquiratur, cum talia carmina etiam in poetarum Alexandrinorum favore fuisse sciamus: Theocritus epicedia composuit (Suid. s. v. Θεόκριτος); Aratus scripsit ἐπικήδειον πρὸς Θεόπροπον (schol. Il. σ 486 cf. Wilamowitz philol. Unters. IV p. 172), εἰς Μύριν τὸν ἀδελφὸν ἐπικήδειον (vita Arati I, apud Westermann biogr. Gr. I p. 55. 86), ἐπικήδειον Κλεομβρότου (Suid. s. v. Ἄρατος, apud Westermann l. c. p. 61. 16); eiusdem carmen εἰς Παυσανίαν τὸν Μακεδόνα (Suid. l. c., Westermann p. 61. 15) epicedium fuisse, suspicatus est Dilthey; Euphorio epicedium scripsit εἰς Πρωταγόραν (Meineke anal. Alex. p. 21), Parthenius, quem Meinekius Alexandrinis merito adiunxit, epicedium Aretes uxoris (Suid. s. v. Παρθένιος, Meineke l. c. p. 255), ἐπικήδειον εἰς Αὐξίθεμιν, ἐπικήδειον εἰς Ἀρχελαΐδα (Meineke l. c. p. 260 sq.); eiusdem fragmenta V et VI epicedii esse, Meineke p. 263 coniecit. Inde poetae Latini hoc genere libenter usi sunt. cf. Ovid. am. III 9;

1) fortasse mireris, me tacere de eis elegiis, in quibus Callimachi exemplum Propertium sequi ex V 1, 69 suspiceris. Sunt elegiae aetiologicae V 1; 2; 4; 9; 10; fortasse etiam V 6, de quibus cf. Schneider Call. II p. 79; Dilthey anal. p. 12; Cyd. p. 105 et 113; Jenaer Literaturzeitung 1874 p. 577; Rohde Rom. p. 82 n. 3 al. Sed totus ibi in enarrandis fabulis Romanis versatur Propertius non nusquam quidem colore Alexandrino tinctis, de quibus quaestio nostra instituta non est. Bene nuper de his disputavit Kirchner in dissertatione Rostochiensi de Propertii libro quinto p. 64 sqq. — Alia quoque omisi, quae satis iam pridem tractata sunt, velut omina infausta in conciliandis nuptiis visa vel audita (Prop. V 3), quem locum Graecorum ingenium redolere apparet ex eis, quae disseruerunt Meineke anal. Alex. p. 40 sq., Dilthey Cyd. p. 91, cf. Kirchner l. c. p. 55. —

Stat. silv. II 1 et 6; III 3; V 1 et 3; incerti poetae consolationem ad Liviam [1]); elegias in Maecenatem (Baehrens poet. Lat. min. I p. 97—136). Comparata igitur haec, quae tradita sunt, epicedia atque epitaphia [2]) in lucem quasi protrahunt artem epicediorum Alexandrinorum, cum permultos locos communes in talibus carminibus iam ab his circumlatos esse pro tanto studio, quo id genus colebant, proclivis est coniectura. Quorum gravissimos nunc contemplemur. Hic ante omnes offert se illa sententia, quae legitur Prop. IV 18, 22

est mala, sed cunctis ista terenda via est

cf. Burmann p. 662; Huebner epic. Drusi p. 165; Zingerle I p. 46. Saepissime autem ab hoc diverse de Propertio senties, si non modo, sicut Zingerle, Latinos, sed etiam Graecos comparaveris, id quod bene vidit Kirchner de Propertii libro quinto p. 54. Fortasse hic istam viam omnibus hominibus terendam ex Graeco auctore mutuatus est poeta. cf. Antiphanem apud Stobaeum floril. CXXIV 27 (Meineke com. III p. 29)

πενθεῖν δὲ μετρίως τοὺς προσήκοντας φίλους,
οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδόν,
ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον,
προεληλύθασιν κτέ

et saepissime apud Propertii auctores Graecos mors via ad Orcum ferens appellatur, licet cogitatio ipsa sit antiquissima [3]).

---

1) quod carmen perlectis eis, quae Huebner das Epicedion Drusi (Hermes XIII p. 145—244) et Baehrens poet. Lat. min. I p. 97 sqq. disputant, posteriore tempore ab impostore compositum esse potius neges.

2) quae quam arte cohaereant, monet Teuffel Roem. Lit. 32, 7 editionis III „den nahen Zusammenhang zwischen Epigramm und Elegie zeigen auch die epitaphia und epicedia“ eqs.

3) cf. Philet. Merc. apud Stobaeum flor. CXVIII 3 (cf. Meineke anal. p. 350); Leonid. ib. CXX 9; Kaibel ep. Gr. 227, 5; 240 al; anth. Pal. VII 203 et 477; XI 23 al; Cat. 3, 11; cf. etiam cum Propertio anth. Pal. VII 335 fin. Eandem sententiam, cunctis hominibus mortem instare, exprimit Propertius in versu 24 ita „scandenda est torvi publica cymba senis“ (Neapolitanus „troci“ exhibet,

Saepius dolet Propertius, nihil valuisse ad avertendam mortem. cf. IV 18, 11 sq.

quid genus aut virtus aut optima profuit illi
mater eqs

et V 11, 11 sq.

quid mihi coniugium Pauli, quid currus avorum
profuit aut famae pignora tanta meae? eqs

Ovid. am. III 9, 21

quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo? eqs

cf. Huebner p. 168 sq.[1]); eamque sententiam Propertius quoque exemplis ex mythologia petitis exornat IV 18, 27

Nirea non facies, non vis exemit Achillem[2]).

Idem, ne Croesum quidem divitiis mortem effugisse ait IV 18, 28 cf. IV 5, 17[3]). Taedet omnes proferre locos, quibus vel ditissimo cuique diem supremum obeundum esse, legatur. Satis sit, demonstrato epigrammate Leonidae anth. Pal. VII 740

ὁ πρὶν καὶ Γύγῃ παρισεύμενος ὄλβον, ὁ τὸ πρὶν
βουπάμων, ὁ πρὶν πλούσιος αἰπολίοις,
ὁ πρὶν — τί πλείω μυθεῦμαι; ὁ πᾶσι μακαρτός,
φεῦ, γαίης ὅσσης ὅσσον ἔχει μόριον

unde Leo. mus. Rhen. XXXV p. 444 „atrocis" pro „est torvi" scribere vult), quem conferas cum versu 10 epigrammatis 256 Kaibel κοινὸς ἐπεὶ θνατοῖς ὁ πλόος εἰς φθιμένους al.

1) cf. etiam Prop. IV 5, 15 sqq.; Lucret. III 1025 sqq.; Pseudophocyl. 109 sqq.

2) quorum pulcritudo atque fortitudo in proverbium abiisse videntur cf. Boissonade ad Constantinum Manassen VIII 10 p. 430; ad Aristaenetum ep. I 27 p. 599; Charit. I 1, 3. Ad sententiam magis Propertii accedit Lucianus dial. mort. 18, 1, ubi Menippo ex Mercurio quaerenti ποῦ οἱ καλοί εἰσιν ἢ αἱ καλαί; respondet deus κατ' ἐκεῖνο ἀπόβλεψον, ἐπὶ τὰ δεξιά, ἔνθα ὁ Ὑάκινθός τέ ἐστι καὶ Νάρκισσος καὶ Νιρεὺς καὶ Ἀχιλλεύς κτέ.

3) Propertius divitiarum contemptor, paupertatis laudator plus semel, ut tot alii, existit, qua de sententia inspicias, si placet, Huschke ep. crit. p. 33 sq.; Bach Philet. p. 62 sq.; Zingerle I p. 88; Stobaei florilegium cap. XCIII et XCV al. — Croesi divitias in consuetudinem proverbii venisse nemini est ignotum. cf. Leutsch paroem. Gr. II p. 87 al.

et Antipatris Thessal. ib. 286, 5

οὐδέ τί σε κτεάνων ἐῤῥύσσατο· φεῦ, ἐλεεινέ,
ὦλεο

(ad quem cf. Jacobs. anim. II 1 p. 339 sq. et Crinag. anth. Pal. VII 645) hunc quoque fuisse locum communem in Graecis epitaphiis admonere[1]).

Tum orat Propertius amicum, ne nimio lugendo frustra speret fore, ut sibi coniunx mortua reddatur. Nam

cum semel infernas intrarunt funera leges,
non exorato stant adamante viae

(V 11, 4). Vulgo vero Orcus reditum mortuis negans vocabatur ἄστρεπτος Ἀιδης (Lycophr. 813) vel ἀπειθὴς χῶρος (Hermesian. 3) vel ἄκαμπτος καὶ ἀνόστητος χῶρος (Antipater anth. Pal. VII 467; cf. Jacobs. anim. II 1 p. 104; Quint. Smyrn. III 15 al) cf. σιδηρείη οἶμος Ἀΐδεω (anth. Pal. VII 412, cf. Il. θ 15, quos locos iam Jacobsius anim. I 2, p. 362 et Hertzbergius cum Propertio comparaverunt). Maxime confer Propertium cum Theocrito II 33 τὸ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἐν Ἀιδᾳ[2]) κινήσεις κ' ἀδάμαντα et Luciano de luctu 4 πρὸς αὐτῇ τῇ καθόδῳ καὶ πύλη οὖσῃ ἀδαμαντίνῃ . . . Αἰακὸς ἕστηκεν alia, quibus omnibus immota et rigida Orci immanitas significatur. Nescio an haec quoque vox in epicediis Graecis circumlata sit.

Quin etiam superstitum lacrimis vexari mortuos, est notissima inter epicediorum poetas Latinos sententia. cf. Prop. V 11, 1

desine, Paule, meum lacrimis urgere sepulcrum

de quo cf. Huebner epic. p. 166; Stat. silv. II 6, 96

quid caram crucias tam saevis luctibus umbram?

et V 1, 180

parce, precor, lacrimis, saevo nec concute planctu
pectora, nec crucia fugientem coniugis umbram

et epigramma sepulcrale Salonae inventum (editum est revue archéol. XXXII p. 124), in quo haec leguntur

1) cf. Addenda.

2) quae lectio falso a Zieglero repudiata est. cf. interpretes ad hunc locum.

parcite iam lachrimis miseri solique parentes
sat fletus vestros prima favilla bibit

cf. etiam Tibullum I 1, 67

tu manes ne laede meos, sed parce solutis
crinibus et teneris, Delia, parce genis

Non dissimile est iussum Romuli, qui post mortem deus apparuit, apud Ovidium fast. II 506

prohibe lugere Quirites,
nec violent lacrimis numina nostra suis.

Vulgo autem credebant veteres non modo Graeci Latinive, sed etiam Germani, mortui umbram vexari lacrimis propinquorum nimis vehementer lugentium. Recte iam Wackernagel de Buergeri carmine, quod vocatur Lenore, disputans (kleinere Schriften II p. 399 sqq.) et Lucianus Mueller in Fleckeisenii annalibus 1865 p. 413 sq. de fabula illa Germanica notissima admonent, cui inscribi solet das Thraenenkrueglein. Minime igitur a veri similitudine abhorret, si, ut alias, sic hanc quoque popularem opinionem carminibus suis inseruisse poetas Alexandrinos statuimus atque ex illorum epicediis sumpsisse eam sententiam poetas Latinos. Ita enim horum consensus optime explicatur [1]).

In eorum deinde elogiis epicediisve, qui naufragio facto perierunt dolent saepe poetae naves inventas esse, omnem navigationem atque ut eius causam avaritiam devovent, ne unquam ventis vela data sint, optant, quem locum communem tractavit Dilthey anal. Callim. p. 12 sqq., Callimachi fragmentum 515 epigrammatis sepulcralis in hominem naufragio absumptum scripti esse ratus [2]); at-

1) similia passim in epigrammatis sepulcralibus Graecis inveniuntur, ubi mortuus propinquos orat atque obsecrat, ut luctu lacrimisque se abstineant. cf. 151 fin; 264; 345; 372 Kaibel al. — Iuvat etiam comparare cum Propertio epicedium anonymi anth. Pal. VII 667. — Apud Charitonem I 14, 7 mortua se sentire mariti lacrimas in sepulcro effusas confitetur.

2) Prop. IV 7; Ov. am. II 11, 1 sqq.; III 8, 49; Callim. ep. XIX Schn. cf. etiam anth. Pal. IX 29; Stobaeum floril. cap. LIX; Zingerle I p. 117; Jacobs. anim. II 2 p. 55; Coluth.

que navigationis periculis quietam vitam rusticam opponunt[1]). In eodem epicedio (IV 7, 8) Propertius pisces amici corpore vesci queritur

et nova longinquis piscibus esca natat[2]),

atque Nereides accusat, quod fluctibus submerso auxilio non venerint (v. 69)

vos decuit lasso supponere brachia mento,

quod locorum Ovidianorum similitudo ex Alexandrino fonte fluxisse arguit. cf. am. III 6, 81

supposuisse manus ad pectora lubricus amnis
dicitur

ex Ponto II 3, 39

mitius est lasso digitum supponere mento
mergere quam liquidis ora natantis aquis

ib. 6, 14

nec pigeat mento supposuisse manum

cf. Burmann ad Propertium p. 540.

Postremo in carmine V 7 eam fortasse conditionem quoque ex Graeco aliquo epicedio desumpsit poeta, quod mortua ipsa per somnum Propertio se ostendit ultima datura mandata. Inde enim ab Homero, apud quem (Il. ψ 65 sqq.) Patroclus mortuus Achillis lecto adstat exhortaturus atque, quid fieri velit, ostenturus, umbras infernas ab hominibus visas esse, a Graecis Latinisque poetis saepissime narrabatur (cf. Welcker ep. cycl. II p. 269 sq.

---

8 sq. (τί δὲ χρέος ἔπλετο νηῶν ἀρχεκάκων); Eurip. Iphig. Taur. 407 sqq. al. — In hoc carmine IV 7 multa ex Graecis sublegit Propertius: ad versus 25 sq. et 27 sq. cf. interpretes anthologiae Palatinae VII 388 et 269.

1) Prop. IV 7, 43; Arat. v. 111 sq.; anth. Pal. VII 532; Jacobs. anim. II 1 p. 328 et 412.

2) sic Leonidas anth. Pal. VII 273, 5 naufragum loquentem facit κἀγὼ μὲν πόντῳ δινεύμενος, ἰχθύσι κῦρμα, οἴχημαι, cf. VII. 286 fin. al., Ovid. trist. I 2, 56. — Mergis praedam datum iri naufragum, dolet Horatius ep. 10, 22. cf. Claudian. V 451; Cat. 64, 152; fortasse Callim. fr. 204. Inde versui Prop. IV 7, 11 colorem Graecum inesse vides. cf. Jacobs. anim. II 3, p. 17; interpretes Propertii; Ov. art. III 35; anth. Pal. VII 292.

et Foerster Hermes XVII p. 195 sq.), praecipueque ab eis, qui ex Alexandrinis pendebant [1]). Quod si recorderis inter Alexandrinos (ut supra exposuimus) Parthenium epicediorum poetam haud infimum locum optinere, facile conicias huius carmen, cui inscribebatur εἰδωλοφανής [2]), de quo nihil cognitum habeamus, idem fuisse atque unum Parthenii epicediorum, ac fortasse hac quoque in re praeivisse poetam Alexandrinum Propertio, quod ipsum mortuum vel mortuam ut umbram apparentem nocteque vel coniugis vel amici dormientis lecto adstantem introduceret in epicedium suum [3]).

Vides ex eis, quae de epicediis Graecis Latinisque artissime inter se cohaerentibus disputavimus, aliquatenus restringendum esse Luciani Muelleri de carmine V 11 iudicium (cf. Fleckeisenii annales 1865 p. 422): „Ein Werk, das in Gedanken, wie im Thema, in Form und Gehalt, in Ausdruck und Verskunst echt roemisch ist". Immo licet de veritate coniecturae, quam de Parthenii epicedio protuli, dubites, spero, inter nos conventurum esse etiam in his epicediis Propertium memorem fuisse locorum communium, qui apud eius auctores Graecos vulgo in epicediis circumferebantur [4]).

1) cf. inter alios Ovid. fast. II 503 sqq.; V 457 sqq.; Senec. Troad. 447 sqq.; Lucan. III 8 sqq.; Valer. Flacc. IV 22 sqq.; Claudian. V 327 sqq.; Apul. met. VIII 7; ex Graecis maxime Lucian. Philops. 27; Charit. II 9 (ubi duo versus Homerici commemorantur); Nonn. Dion. V 412 sqq.; Phlegont. Trallian. περὶ θαυμασίων cap. I, cuius vestigia sequitur Goethius in carmine die Braut von Korinth.

2) Meineke p. 268.

3) cf. Prop. V 11 82 sqq.; Stat. silv. III 3, 204 et V 3, 289. — versus Prop. V 7, 94 „mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram" inde ab Homero usitatissima est sententia. cf. Prop. II 8, 23; Ovid. art. III 21; met. IV 157; ep. Graec. 590 Kaibel; Burmann ad Propertium p. 851 al. Etiam cum versu 96 multi loci similes conferri possunt.

4) Bene Kirchner p. 84 similitudines non nullas interesse inter Propertium V 11 et Euripidis Alcestim vidit (cf. maxime Propertium v. 75 cum Euripide v. 377). Quas sententias utrum ex ipso Euripide an a poeta Alexandrino aliquo exceperit, diiudicari non potest.

Addenda.

Typographo postquam libellum meum tradidi, in manus pervenit Buecheleri commentatio, cui inscribitur ‚Pompeianisch-Roemisch-Alexandrinisches' (mus. Rhen. 1883, XXXVIII p. 474—476). Ex qua cum alium fructum capere mihi licuit, tum, quod summo me affecit gaudio, Buechelerum quoque eam, quam inter Sullani temporis epigrammatarium Latinum atque Paulum Silentiarium indagavit, similitudinem ad eundem fontem Alexandrinum referre vidi.

p. 17: quem Lactantius loco a Rohdio commemorato dicit, „quidam poeta", ut suspicatur Dilthey, Alexandrinus fuit.

p. 24: simillima Theocriti Simaetha II 90 sq.

καὶ ἐς τίνος οὐκ ἐπέρασα
ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον, ἅτις ἐπᾷδεν;

Eiusdem carminis versus 64 sqq. tam luculenter concinunt cum Propertii elegiae I 18 initio, ut hic quoque aut ipsius Theocriti carminis illius egregii memor fuisse videatur poeta Romanus aut phraseos alicuius, quae in communi fere usu poetarum Alexandrinorum versabatur.

p. 25: in tota hac elegia (am. III 6) Ovidium exemplar Alexandrinum sequi collato Antiphili epigrammate fortasse mutilo anth. Pal. IX 277 putaveris.

p. 29: Philodemi epigrammatis anth. Pal. IX 570 versus 7 sq. delendos esse censuit Dilthey. Ambigue

dicit poeta, tamquam apem appellet, ansam praebente nomine puellae Ξανθώ. cf. anth. Pal. XII 152.

p. 33: in hac descriptione Bacchi Beroes amore flagrantis non nulla lumina ex Cydippa sumpsisse Nonnum animadvertit Dilthey Cyd. p. 56, 70 al.

p. 39: epigramma anth. Pal. V 303 fragmentum esse atque initium longioris carminis coniecit Dilthey. Idem comparat anth. Lat. 273 R. et Ausonii Cupidinem cruci affixum. cf. mus. Rhen. 1870 p. 156, 4.

p. 45: obsecrationes ianuae (cf. Prop. I 16, 17 sqq. al.) exortae esse videntur Diltheyo e prisco more fores occentandi, quale carmen incantat Phaedromus in Plauti Curculione I 2, 57 sqq. cf. etiam Plaut. Pers. IV 4, 20 et Merc. II 3, 73.

p. 55: inspicias necesse est, quae Buecheler l. c. p. 475 de Pauli epigrammate anth. Pal. V 226 ait.

p. 60: exemplis ex mythologia petitis saepissime consolantur mortuos vel propinquos epigrammatum sepulcralium poetae. cf. Le Blant rev. arch. 1874 p. 252; Keil mus. Rhen. XX p. 560; Kaibel ep. Gr. 298 extr. Omnes quodam modo praeivit Homerus in verbis illis Achillis notissimis Il. φ 108 sqq.

οὐχ ὁράᾳς οἷος καὶ ἐγὼ καλός τε μέγας τε;
πατρὸς δεῖμ' ἀγάθοιο, θεὰ δέ με γείνατο μήτηρ·
ἀλλ' ἔπι τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.

cf. σ 117 sqq.

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα,
ὅσπερ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι·
ἀλλά ἑ Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης κτέ.

Dilthey, qui haec exempla mihi indicavit, simul admonuit, hanc consolationem potissimum fuisse argumentum Antimachi Lydes teste Plutarcho consol. ad Apollon. c. 9 p. 106 B. ἐχρήσατο δὲ τοιαύτῃ ἀγωνῇ καὶ Ἀντίμαχος ὁ ποιητής· ἀποθανούσης γὰρ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ Λύδης, πρὸς ἣν φιλοστόργως εἶχε, παραμύθιον τῆς λύπης αὐτῷ ἐποίησε τὴν ἐλεγείαν τὴν καλουμένην Λύδην ἐξαριθμησάμενος τὰς ἡρωι-

κὰς συμφορὰς τοῖς ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐλάττω τὴν ἑαυτοῦ ποιῶν λύπην, atque ab hac illius Alexandrinorum praecursoris elegia tamquam a capite fonteque manasse epicedia Alexandrina. Hesiodum enim ἐπικήδειον εἰς Βάτραχόν τινα ἐρώμενον αὐτοῦ scripsisse vix quisquam Suidae (s. v. Ἡσίοδος) credet. Sic Hermesianax quoque (Bergk p. 134 v. 41 sqq.) exemplis mythologicis adscitis amoris sui dolores sedare voluit.

Index locorum Propertianorum.

I 1, 1 . . . . p. 13
1, 4 . . . . » 15
1, 19 . . . . » 24
2 . . . . . » 33, 53, 55
3 . . . . . » 40, 53, 55
3, 5 sq. . . . » 41
3, 13 sq. . . . » 42
3, 19 sq. . . . » 43 n. 2
4 . . . . . » 53
5 . . . . . » 53
5, 11 . . . . » 15
6 . . . . . » 53
7 . . . . . » 11
8 . . . . . » 54
8, 12 . . . . » 20 n. 1
8b . . . . . » 54
9 . . . . . » 11
9, 29 . . . . » 18
10 . . . . . » 36, 56
11 . . . . . » 54
12 . . . . . » 54
13 . . . . . » 36, 56
13, 17 . . . . » 37
15 . . . . . » 54
16 . . . . . » 45, 53
16, 7 . . . . » 44 n.
16, 23 . . . . » 44 n.
16, 29 sq. . . » 19
16, 34 . . . . » 20 n. 1
16, 42 . . . . » 44 n.
17, 25 sqq. . . » 26
18 . . . . . » 46, 53
18, 19 sq. . . » 46
18, 22 . . . . » 47
19, 5 . . . . » 15
19, 25 . . . . » 29
21 . . . . . » 57

II 1 . . . . . p. 11
1, 63 sq. . . . » 28
2, 13 sq. . . . » 28 n. 4
3 . . . . . » 53
3, 9 sqq. . . . » 28 n. 3
4, 7 . . . . » 24
4, 15 . . . . » 24
6 . . . . . » 54
8 . . . . . » 54
8, 23 . . . . » 63 n. 3
8, 40 . . . . » 16 n. 2
9 . . . . . » 54
9, 32 . . . . » 19
9, 37 sqq. . . » 52
9, 41 . . . . » 44 n.
III 10, 2 . . . . » 8
10, 26 . . . . » 9
11 . . . . . » 54
12 . . . . . » 47
12, 3 . . . . » 50
12, 13 sq. . . » 17
12, 14 . . . . » 49
12, 17 sq. . . » 49
13, 1 sq. . . . » 17
14 . . . . . » 54
15 . . . . . » 36, 56
15, 2 . . . . » 37
15, 12 . . . . » 13
15, 22 . . . . » 19 n.
15, 23 sq. . . » 29
15, 25 . . . . » 37 n.
15, 33 . . . . » 23
15, 51 sqq. . . » 30
16 . . . . . » 54
16, 45 . . . . » 20 n. 6
18, 25 . . . . » 34 n.
24 b . . . . » 54

III 25 . . . . . p. 54
25, 22 . . . » 19 n.
26, 29 sq. . . » 52
26, 45 . . . » 27
28 . . . . . » 54
28, 8 . . . . » 21
28, 37 . . . » 23 n. 2
29 . . . . . » 38
29, 16 . . . » 40 n.
29, 30 . . . » 34 n.
30 . . . . . » 47, 51, 56
30, 10 . . . » 15
34 b . . . . » 11
34, 60 . . . » 18
IV 1, 4 . . . . » 8
1, 5 . . . . » 8
1, 6 . . . . » 4
1, 18 . . . . » 10
2, 14 . . . . » 8
2, 47 . . . . » 5
3 . . . . . » 8, 12
3, 5 sq. . . . » 4
3, 22 . . . . » 7
3, 26 . . . . » 9
3, 51 sq. . . » 4
5, 15 sqq. . . » 59 n. 1
5, 17 . . . . » 59
5, 20 . . . . » 8 n. 2
7 . . . . . » 57, 61 n. 2
7, 8 . . . . » 62
7, 11 . . . . » 62 n. 3
7, 25 . . . . » 61 n. 2
7, 27 . . . . » 61 n. 2
IV 7, 43 . . . p. 62 n. 2
9, 3 sq. . . . » 7
9, 35 . . . . » 7
10, 15 . . . » 15
14, 27 . . . » 34 n.
17, 2 . . . . » 7 n. 2
17, 3 sqq. . . » 27
17, 40 . . . » 4 n.
18 . . . . . » 57
18, 11 sq. . . » 59
18, 22 . . . » 58
18, 24 . . . » 58 n. 3
18, 26 . . . » 59
18, 27 . . . » 59
20, 13 sqq. . . » 32
24 . . . . . » 54
25 . . . . . » 54
V 1, 69 . . . . » 57 n.
1, 134 . . . » 4 n.
1, 180 . . . » 60
3 . . . . . » 57 n.
5, 59 sq. . . » 31
7 . . . . . » 57, 62
7, 22 . . . . » 20 n. 1
7, 94 . . . . » 63 n. 3
7, 96 . . . . » 63 n. 3
11 . . . . . » 57
11, 1 . . . . » 60
11, 4 . . . . » 60
11, 11 sq. . . » 59
11, 75 . . . » 63 n. 4
11, 82 sqq. . » 63 n. 3

9781 6

3 2044 020 441 92

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

554.326

2744/20

Canceled

JAN 10 70 11

WIDENER
BOOK DUE
NOV 9
CANCELLED
7233068
JUL 8

WIDENER
BOOK DUE
NOV 9
CANCELLED
OCT 27 1998

WIDENER
BOOK DUE
SEP 10 1996
CANCELLED